

12055.

1667, 20 21

JOANNIS SCHMIDELI, D.  
EXEGESEOS  
**EXAMINIS**  
SCHOTANIANI

*EXERCITATIO PRIMA*  
RESPONDENTE  
HECTORE-GVILIELMO BAUR ab EYSENECK!

---

J E N Æ,  
E Chalcographeo HAKIANO,  
M. DC. LXVII.



VIRO NOBILISSIMO ac CONSULTISSIMO  
DNO. JOHANNI JACOBO  
BAUR ab EYSENECK  
Reipb. ad Moen. Francof. Senatori  
meritissimo, gravissimo, CIVI OPTIMO,  
SALUTEM & PERENNE DECUS

precatur

HECTOR GUILIELMUS BAUR ab EYSENECK.

Miraberis fortean, quod adscititiis pennis in publicum evolare  
mausim, COLENDISSIME PARENS, cum studii Academici pro-  
fectus hoc ferè argumento hodiè probentur, ut exasctatissimè e-  
laborati thematis Auctorem publicè nos profiteamur. Fateor,  
non parum id causæ esse, cur queri de filio, deque sumptibus libera-  
liter hætenus impensis, dolere queas. At frontem, puto, remittes,  
si, quid plerumque sub ambitiosis istis titulis lateat, pro innata pru-  
dentia tua arbitratus fueris. Si enim vera sunt, quæ pro veris nobis ob-  
erudûtur, vereor, ne plerûq; magnâ de fato avi nostri conquerendi cau-  
sâ habuerit ingeniosissimus Traj. Boccal. c. 1. rel. 35. p. 87. Sin ficta, quid  
dolebis? an, quod non parem Tibi fucum feci? Equidè me non latet,  
plurimas materias, cum in Jure Romano, cum Patrio occurrere, in  
quæis ingenium non minus, quam stylum exerceri, res ipsa mereatur.  
Quid enim dignius, quid fructuosius scripsissem, quam si principia Pa-  
triarum legum, quod olim destinavi, ex ipso Romanorum Jure de-  
monstrassem, ostensis subinde, in quibus conveniant toties, vel à se  
invicem discrepent? Sed, ut verum fatear, nondum me hætenus pa-  
rem tantis ausibus, alieno verò partui nomen meum supponere, parum  
ingenui pudoris esse judicavi. Malui ergò ea, quæ Nobilissimi Dni  
Præsidis privata hætenus informatio mihi instillavit, publicè nunc ven-  
tilare, eo potissimum consilio, ut aliorum opinionibus auditis & ex-  
cussis promptior fiam firmiorque in propositis assertionibus. Liberè  
enim philosophandum esse, nunquam non credidi, cum omnis profectò  
scientia exulet, ubi semel dominatur opinio. Tu ergo, COLENDIS-  
SIME PARENS, hæc qualiacunque, ut à pio gratoque animo profe-  
cta, sic paterno affectu suscipe, quo ipso non minorem addes constanti-  
am patrio amori, quam filio calcar ad altiora. Vale. Jenæ, XVI. Kal.  
April. A. O. R. ∞ Idc LXVII.



BERNHARDI SCHOTANI  
EXAMEN JURIDICUM

PRIMA (a)  
PANDECTARUM

PARS

Lib. I. D. Tit. I. & Lib. I. Inst. Tit. I.

QUÆST. I.

*Quis est finis studii Juridici?*

Justitia, ejusque administratio (β) arg. Nov. 30, c. 9. §. 1. Nov. 69, in prafat. Idcirco enim jura addiscimus & docemus, ut advocando, judicando, docendo, æquum ab (γ) iniquo, licitum ab illicito, separantes, veram philosophiam, non (δ) simulatam affectantes, Justitiam sedulo colamus. L. 1, §. 1. D. h.

Εξήγησις.

(a) **I**N VII. enim partes Digesta sua distribuit Imperator, quod hic numerus præ cæteris perfectus crederetur, & mysticus, §. 1. Const. de Confirm. ff. ετ ε γ δ μ υ σ κ α τ α τ ε α ι θ μ ω ν, ut dicitur Gregorio Nazianzeno Orat. XLII.

Cujus rationem his verbis exprimit Scriptor Responsorum ad Orthodoxos, ad quæst. 69. ἵνα ἐν φυλαχτῇ ἡ μνήμη τῆς τῶ κόσμου ποιήσεως ἐν τοῖς ἀνθρώποις, διὰ τὸ τοιμώτερον ἢ τῶν ἄλλων εὐερίσκειν ἔταξε τὸν ἐπὶ αἰθμὸν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ; *Ute ergo memoria mundi conditi inter homines servaretur, ideò voluit Deus septenarium numerum in sacris literis eminere cæteris honoratiorem.* Conf. cum hoc loco Dionem lib. XXXVII. pag. 37. edit. Leuncl. Adde G. Calixt. tr. de supr. Judic. p. 22. 23. Jo. Jac. Wissenbach. part. 1. Disp. 1. in π. th. 5. Ch. Belold. in præcogn. gener. miscell. n. 4.

A

qui



qui tamen viderit, ne, quam Justiniano, sanctis quoque patribus istis superstitionem exprobet.

2 (B) Nempe Justitia finis est Jurisprudentiæ, non quatenus illa habitus est, soloque animo interiùs coercetur, quò sensu accipit definitionem Justitiæ *in d. l. 1. pr. ff. b. Henning. Arniseus, Proem. ad lib. II. de Repub. sect. 3. n. 23.* quamquam certum sit, si-  
ne habitu finem Jurisprudentiæ non obtineri; verùm quatenus illa per actiones civium diffunditur, ipsaque vitâ ac opere exprimitur & exercetur. Quod evidentius patebit, si verba definitionis abstractiva concretè pronunciemus, ut justus sit, qui constantet & perpetuò vult suum cuique tribuere; quasi diceret: qui non malo forsan adfectu impetuque animi, (quo pacto & mali sæpe justa discipiunt Aristotel. *V. Eth. 8.*) sed ex habitu, cujus ea conditio est, ut difficulter sit mobilis, *II. Eth. 4.* (qualem in hominè cadere posse, vix quisquam dubitat; ut frustra igitur sint, qui nescio cujus divinæ, aut abstractivæ seu idealis Justitiæ definitionem à Jcto traditam comminiscuntur; vide Franzk. *Comm. ad pr. l. b. n. 5. & seq.*) rectoque aded ac defæcato animi judicio, & inolitâ voluntatis rectitudine id, quantum in se est, enixissimè agit, ut suum quisque accipiat. Vides, distingui actum ab habitu, ex quo ille fluit. Emphaticè autem justus, qualem efficere intendit Jurisprudentia, is dicitur Jcto, qui vult alteri suum tribuere; non, qui tribuit. Ut enim actu cuius, quod ipsius est, tribuatur, adeoque Justitia ubique per Rempubl. vigeat, finis Jurisprudentiæ est externus, qui non semper esse solet in arbitrio ac potestate agentis, sed rationi sæpe status & majori fato, iniquis præsertim Reipub. temporibus, succumbit. Vid. Dn. Conring. *ad Lampad. part. 1. §. 15.* Fallor, aut hue etiam pertinet, quod Plinius ait *lib. V. Epist. 20. In actionibus utramque in partem fortuna dominatur.* Laudi interim ac virtuti viri justinihil decedit, modo is conscientiæ suæ securus rationes, æqui & boni pertinaciter excuriat, ex iisdem sinceriori adfectu de quibusque negotiis judicet, atque secundum hunc judicium agi semper velit, & ipse etiam pro conditione status ac muneris sui agat, si ubi alluende non impediatur. Atque hunc finem internum ubi impetraverit Jctus, si non voto semper, officio certè suo

suo & conscientia defunctus dici potest. Ceterum dum finem  
 Jurisprudentiæ externum justitiam esse dicimus, dissentire qui-  
 busdam videtur Fr. Duarenus *lib. 1. Disput. 1. 1* cui salus Rei-  
 publ. pro fine Jurisprudentiæ est. Sed quis neget, optimè etiam  
 salutis publicæ prospectum esse, si justitiæ ratio in Repub. habeatur?  
*Justitiam veluti solem facio*, inquit Justus Lipsius *lib. II. Pol.*  
*c. 10. qui nisi superiorum omne corpus illuceat, tenebrae in eis, tempe-*  
*stas, nimbis.* Conf. Grot. *in proleg. ad libb. de J. B. & P. p. 5.* Did.  
 Saavedr. *symb. Polit. XXII.* Pius Mutius, *consid. XIV. in lib. 1. An-*  
*nal. Tac.* Sed quia tamen bonum Reipubl. non solò justitiæ exer-  
 citio, sed aliis etiam virtutibus regnatricibus constat, optimè te  
 expediveris, si distinguas inter finem externum Jurispruden-  
 tiæ adæquatam seu proprium, & communem. Quali distinctio-  
 ne etiam circa finem internum opus est, quorum alter extero-  
 rem illum proximè respicit, dum quis judicando, agendo,  
 consulendo jus factò applicat; alter remotè, qualem inten-  
 dunt, qui ad munus professorium, sive jus docendi aptitudinem  
 nituntur. Quos omnes, sed paulò confusius, designavit etiam  
 Auctor. Denique à fine ordiuntur doctrinam suam Jcti, quia  
 habitus practicus est, cujus naturam & limites finis definit (quid-  
 quid enim homines agunt, propter finem agunt, Aristot. *lib. I.*  
*Eth. c. 1. & 2.*) adeoque nisi in hunc altius penetraveris, omnis  
 alia tractatio fluxa sit oportet, & erratica. Vid. Arnisa. *d. l.*

(γ) Versatur igitur Jctus & circa iniquum ac illicitum, &  
 non tanquam objectum intentionis primarium; vult enim, ut  
 quàm alienissima sit omnis iniquitas & ἀνομία ab actionibus  
 civium; sed per consequentiam & quatenus pertinet ad  
 objectum adæquationis, cum contrariorum idem subje-  
 ctum &, ut Grotius loquitur *II, 22, 4.* rectum obliqui index sit,  
 denique, ut, quod injustum est, aut evitetur magis in vitâ civili,  
 aut puniatur. Quâ ratione & Eustratius inter κεφάλαια τῆς πο-  
 λιτικῆς πραγµατείας, τὰ δίκαια καὶ ἀδίκαια, *justa & injusta* re-  
 fert, *ad VI. Ethic. Arist. p. 101.* Latius autem ferè patet licitum,  
 quàm æquum; cum sæpe, ut Agan *emnon* inquit apud Senec. *in*  
*Troadibus, Act. II. sc. 2. vers. 134.*

*Quod non vetat lex, hoc vetet fieri pudor.*

A 2

Pudor

Pudor, inquit, id est, æqui & boni respectus, interprete eodem Grotio, III, 10, 11. Nempe leges, non quatenus ratione & intelligentiâ, ut philosophi, sed quatenus teneri manu possunt, iniqua tollunt, ut ait Cicero *de Offic. III, 68.* Exempla vide in *l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 24. ff. ad L. Jul. de adult. &c.*

(d) Nescio, an simulatam Philosophiam dicere debeam, quæ absurditate dogmatum monstrosa est; qualis olim illa Cyrenaicorum, qui teste Diog. Laertio *Lib. II. in vitâ Aristippi* *μὲν δὲ τὴν εἰρησὶ φύσει δίκαιοσιν, nihil naturâ justum esse, contendebant; conf. Cicer. de Finib. II, 71.* an, quæ ductis superciliis & horrore cultus, vanaque ostentatione ineptiarum fingitur; ubi barbam quidem & pallium videas cum Herode Attico, non philosophum, Aug. Buchner. *ad Plin. I. Epist. 10. & 22.* qui, quam sapientiam profitentur, ne intelligunt quidem, nec unquam didicerunt, quo nomine Sophistas insectatur Aristoteles *lib. X. Eth. c. 9. n. 71.* Quo pertinere videntur, quos Suetonius *in August. c. 74.* Aretologos, Seneca, *Epist. XXIX.* circulatores philosophos nominat; mera hominum mendicabula, qui cum scholam & sectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant, & Romulidas Saturos variis de virtute & vitio disputationibus oblectabant, ut in *Comment. ad d. L. Sueton.* loquitur Is. Casaubonus; an, quæ profundis speculationibus immerfos civitati vitæque pragmaticæ inutiles reddit. *Reperias fortassis, inquit adpositè Freder. de Marselaer lib. I. de Legato, dissert. XXIV. nonnullos literatores, qui umbratili studio sic ingenium occupavere, ut supinè stulti evaserint: alios, qui sedentarias meditationes morbidè stitunt, ut, velut veterno oppressi negotia fugiant, negligant publica & privata, nihilque estrent, quod non adpersum sit librario hoc pulvere. Et cum omnia agant, ut sciant, si sciunt, nihil agunt; sibi sapiunt, sibi omnia intelligunt, docti & prudentes, sed sibi. Ita verò, quod sciunt, nesciunt, Reipub. tandem, sibi que inutiles &c.* Conf. Pet. Cunæi *Satyræ*; an denique quæ aliud docet, & præceptis suis complectitur, aliud vitâ ipsâ moribusque sequitur & observat. Quo sensu ferè simulationis vox Jure nostro accipi solet. *vid. t. t. C. plus val. quod ag. quàm quod simul. cone.* Sic omnes, præter Epicureos, dicere melius, quàm facere existimabantur, atate Cicer-

cero-



ceronis *de Finib. d. l.* eorumque ambitio, avaritia, ira, adfectus  
 homine nequaquam digni, passim perstringuntur. Vid. de Phi-  
 losophorum sui temporis avaritiâ & ambitione Tatianum *in ora-  
 tione Apologeticâ*, & de modernis quibusdam Th. Lansii *dissert. de  
 Academ.* Non tutti coloro, inquit Baldasar Alamo, *Aphor. 204. ad  
 Tac. Hist. IV*, che fanno professione di Filosofia, e di buone arti, l'esser-  
 citano con l'opere, anzi // esso se ne sogliono servire per coperta delle loro  
 malvagità. Quicquid ejus sit, ab his certè omnibus aliena longè  
 est vera *J*Ctorum philosophia, quæ non tantum practico mentis  
 lumine in vitæ & negotiorum abdita penetrat, sed & suam civi-  
 umque vitam ad virtutis & justitiæ normam adsvetudine, confi-  
 liis, exhortationibus, decretis, pœnis denique & præmiis com-  
 ponit: quæ Platonis & Aristotelis placita factò exequitur, quod  
 de Valente Imp. testatur *Themistius*; Ante quem etiam Alexan-  
 der M. quod Roxane non per libidinem abusus sit, sed uxorem  
 ducere maluerit, φιλοσόφος egisse dicitur Plutarcho, *in ejus vitâ*.  
 Appositissimè Euphrates, ipse ἀρχέτυπον veri philosophi, apud  
 Plin. *in Epist. I, 10*. Est hæc, inquit, *Philosophia*, & quidem pulcher-  
 rima pars, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere,  
 & exercere justitiam, quæque ipsi doceant, in usu habere. Conf. & de  
 Aristone *Epist. 22*. Atque hanc demùm veram esse Philosophi-  
 am practicam, ipse docet Philosophus *d. cap. 9. lib. X. Eth. conf.*  
 Quil. Budæ. *annot. priores ad π. p. 13*. Francisc. Jul. Chopin. *in Philo-  
 soph JCr. ver. lib. I. cap. 1. & seq.*

## DE JUSTITIA.

### QUÆSTIO II.

#### *Quomodo definitur Justitia?*

Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribu-  
 endi. *pr. Inst. L. Justitia, 10. pr. D. h.*

Ἐξήγησις.

Quid priora definitionis verba sibi velint, ex præcedentibus  
 adparet. Suum autem cujusque id *J*Ctis dicitur, quod cuique de-  
 betur ex præscripto justitiæ particularis. *Crot. d. I. B. & P. I. 1, 5,  
 & 8*. sive sit dominium rei, sive usus, sive ususfructus, sive possessio,  
 sive quod alteri debetur ex contractu vel quasi contractu, ex deli-  
 cto,

licto vel quasi delicto, ut rem per exempla illustrat Vincent. Fil-  
 liucius *Tom. II. qq. moral. de Christi. off. & cas. consc. tract. 31 cap. 2.*  
 n. 29. Equidem meum, & quod huic ex æquo respondet, suum,  
 toto jure vix aliter accipitur, quam pro eo, quod in facultatibus,  
 bonis aut actionibus est, Vide *l. 27 §. 2 ff. de aur. arg. & c. legat. l. 2 ff. de*  
*condit. instit. l. 30. §. 1. ff. ad SC. Trebell. Barn. Brisson. lib. XI. de V.*  
*S. p. 359. & v. g. frustra suum dixerit pauper, quod à divite ex præ-*  
*scripto charitatis ipsi præstari æquum sit, antequam is præbuit.*  
 Nec enim *πλεονεξεί οὐ βοηθῆσας χρήμασι δι' ἀνελευθερίαν, injuri-*  
*am facit, qui alteri non succurrit præ tenacitate, ut docet Aristoteles*  
*V. Eth. 4. conf. Grot. II, II, 3. Ut ergò justitiam universalem hæc*  
 non definiri, evidentissimum esse putem. Sed hac de re paulò  
 deinceps.

QUÆST. III.

*Quomodo dici potest Justitia voluntas, &c.*

Voluntas per metonymiam subjecti pro adjuncto,  
 accipitur pro habitu (a) voluntatis. Potest & definitio  
 sic explicari: Justitia est virtus, quæ constanter & perpe-  
 tuò vult jus suum cuique tribui.

Ἐξήγησις.

- 1 (a) Vel rectius pro actu voluntatis habitu jam informatæ,  
 ut superius ostensum, & in fine quæstionis ipse agnoscit Auctor.
- 2 Rectè autem voluntas subjectum Justitiæ, quatenus habitus est,  
 statuitur, non appetitus sensitivus, quod voluit Franc. Piccolomi-  
 neus, *Grad. IV. Phil. Mor. cap. 8.* quia adpetitus sensitivus non ver-  
 satur circa bonum, nisi proprium, unde justitia, cujus subjectum  
 est *ἀλλότριον ἀγαθὸν bonum alterius, Aristot. V. Eth. 1. n. 39.* in eo  
 consistere nequit.
- 3 Adhæc voluntas per se indifferens ad justè  
 vel injustè agendum, ut non nisi justè agere velit, habitu indiget ac  
 virtute, quæ ipsa est Justitia. Vide *Conr. Hornej. lib. III. Phil.*  
*Mor. cap. 2. n. 4. Dn. Hahn. Obs. VVesenb. part. I. pag. 20.*

QUÆST. IV.

*Quomodo Justitia est constans & perpetua, cum*  
*Prætor*



*Prætor, licet iniquè quid decernat, jus tamen dicere, & justitiam administrare (a) dicatur, L. pen. D. b.*

Quod injustè fit, non virtuti, sed vitio hominis, vel ex malitia vel ex imperitia jus dicentis, imputandum est.

*Ἐν ἑνὸς.*

(a) Nollem hæc verba adjecta, cum nec in textu *d. l. pen.* extent, & Seneca jûs hoc sensu disertim justitiæ opponat *de ira I, 27.* vide *Orat. III, 10, 1.* Scilicet jus hoc loco non dicitur, quod interior actûs rectitudo & justitia agentis commendat, sed quod in judiciis externis viget, & quoad effectus saltem pro jure habetur. Interim Jurisprudencia iniquam ejusmodi Prætoris sententiam nequiquam intendit, quin potius, si intra decendum appellatio ab eâ fiat, vult etiam à superiore corrigi. Quod autem post id tempus eandem corrigi nolit, alia majori ratione impeditur, nempe ne diu admodum in incerto sit civium jus, litigandi licentia in infinitum abeat, magistratum auctoritas periclitetur, denique ut coerceatur etiam negligentia causæ suæ vulneratæ non in tempore succurrentis. Planè nulla est consequentia, Titius prætor iniquè decernit; ergò justitia non est constans: nisi probes, Titium aut esse justitiam, aut non posse secundum justitiam non operari, quod vel de viro justissimo non facilè asseveraverim. Et bonus interdum dormitat Homerus, neque τὸ μὴδ' ὀπωστὸν ἀμαρτάνειν ἀνθρώπων, nullâ re unquam delinquere, humanum est, dicente Belisario apud Procopium *Gotb. lib. III. p. 178.* An autem quæ iniqua Prætoris sententia nobis tribuit, salvâ conscientiâ persequi aut retinere possimus, infra tractabitur.

QUÆST. V.

*De qua justitia est intelligenda superior definitio?*

Non de Universali: (a) quia ea (cum exigit obedientiam erga omnes leges, divinas & humanas, omnesque

sub



sub se complectatur virtutes, de quibus in Jure non agitur directò & propriè ) finis Juris nostri esse non potest. Non de divinâ, (β) quia ea etiam occupata est circa hominum cogitationes & alia, quæ per leges nostras non diriguntur. Sed de particulari, quæ consistit tantùm in regulis justitiae & boni; ac humanâ, quæ circa politicas, civiles & externas (γ) hominum actiones versatur. Amplissimis quidem verbis Justitia ab auctore DEO, à concurrentibus virtutibus, earumque effectu, in legibus commendatur, sed nusquam alia, quàm particularis & humana designatur, cùm de Juris vero fine quaeritur.

Εξήγησις.

(α) Justitia universalis versatur circa τὸ νόμιμον, seu omne id, quod legibus potestate νομοθετικῇ ad beatam in civili societate vitam pro fine cujusque Reipub. constitutum est. Enimvero & is injustè, adeoque contra justitiam, fecisse dicitur, Germ. er habe unrecht gethan / qui qualicumque legi non iniquæ haut obtemperavit. Aristot. d. l. n. 18. 28. 30. Adde Pol. I. 6. ubi: ὁ γὰρ νόμος, inquit, δίκαιόν ἐστι; nam & lex justum est. Interesse autem potest Reipubl. non tantùm suum cuique tribui, sed & aliarum virtutum exercitium inter cives obtineri. Quatenus igitur istæ aliæ virtutes ad hunc finem, utilitatem nempe societatis civilis aliquem respectum & ἐπιργασίαν habent, hocq; nomine legibus comprehensæ sunt, ad justitiã universalem, tamquam specialem & ab ipsis aliis virtutibus objecto modoque considerandi distinctam virtutem pertinent; pariter ut & omne re iquum, quod præter virtutes legibus ad beatitudinem Reipub. est præscriptum. Quod posterius præcipuè contra σκέψιν Arn. Vinnii notandum Comment. ad rubr. J. de J. & J. n. 4. Vel imprimis autem societatem humanam conservat, si, quod cuiusque est, ipsi tribuitur, Cicero de offic. III, 21. Unde Justitia, quæ πλεονεξίαν corrigit, & ἰσότητα περὶ ὅσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία, i. e. æqualitate in iis, quæ ex bonis vel malis æstimabilibus cuique debentur, in lucit, da einem jedweden sein Recht widerfähret / ipsa quoque ad communem illam justitiam, veluti pars quædam pertinet, inde particularis dicta. Arist. d. l. Et antea observavimus,

vavimus, de hac solâ accipiendam esse definitionem Ulpiani in d. 4  
l. 10. unde quæstio oritur inter DD. an hæc quoque sola finis sit Ju-  
risprudentiæ. Qua in re ut paucis sententiam nostram explicemus,  
distinguendum videtur (I.) inter Jurisprudentiam per se & 5  
in thesi consideratam, & quatenus corpore Juris Justiniano pro-  
ponitur. Prioris illius, quatenus tanquam habitus consideratur, 6  
ut à reliquis omnibus, ita & à Politicâ distinctus (alioqui enim  
non nego, generalius sumto vocabulo Politices, ut versetur circa  
omne id, quod fini & salutem Reipub. quoquo modo inservit, par-  
tem ejus esse Jurisprudentiam (sed sic frustra de finibus regundis  
inter se agunt) non quidem ministerialem, ut partium forte  
studio contendit Mich. Piccartus, in *Proleg. ad Polit. Arist. pag. 6.*  
& seq. sed principaliorem; sine justitia enim, ut nulla, ne latro-  
num quidem societas, ita maximè nec civilis illa vel momento  
consistet, Grot. in *Proleg. de I. B. & P. pag. 5. cum Annot. item l. b.*  
*III. c. 3. n. 2.*) objectum formale est id, quod in quavis re tam di-  
vinâ, quàm humanâ in ordine ad civilem beatitudinem justum est.  
Quod evidentissimè probat definitio Jurisprudentiæ ab Ulpiano  
& ipso Imperatore in §. 1. *Inst. l. 10. §. 2 ff. h. t.* proposita. Aut o- 7  
mnis igitur Juris quæstio ad Jurisprudentiam pertinebit, aut vere-  
or, ne contradictionem implicet, quæstionem juris esse, nec ta-  
men ad Jurisprudentiam, eandemve solam pertinere, haut absi-  
mili pacto, quo absurdè agnosceres adfectionem corporis natu-  
ralis, sed eandem vel contemplationis Physicæ esse inficiareris,  
vel certè sub eâdem ratione formali à Metaphysico quoque confi-  
derari posse contenderes. Nec movent, quæ in contrarium no- 8  
vissimè disputavit Eruditissimus Boeclerus, ad d. *proleg Grot. p.*  
*76. seq.* cujus rationes superior distinctio inter diversum usum vo-  
cabuli Politices, item inter Jurisprudentiam ipsam, ejusque ap-  
plicationem ad statum & leges Reipubl. Romanæ Jure Justiniano  
factam; denique inter ea, quæ Politicæ in concreto & in abstracto  
tribuuntur, haud agrè convellit. Confer. Dn. Zigler. ad eund. lo-  
cum Grotii, pag. 36. seqq. ubi inter alia: *Ut maximè verò, inquit,*  
*etiam Politicus quandoque id, quod justum est, determinet, non tamen*  
*id facit, quatenus est Politicus, sed hoc ipso Jcti munus gerit, & termi-*  
*nos suos transgreditur.* Et paulò post: *Non minus igitur sub ratione*  
B justi

*justi Reipubl. consultit Justitia sacerdos, quàm sub ratione utilis Politicus. Nec quisquam horum in benè ordinandâ Repub. alterius ope cavere potest.* Ergò cum hæc ita sint, & verò, an civis Reipub. legibus conformem se gesserit, non utique ad consilii, sed juris quaestiones pertineat, sua sponte sequitur, Jurisprudentiæ finem non  
10 solam particularem, sed universalem justitiam esse. Quod attinet Jurisprudentiam Justinianeam (II.) distingui velim objectum ejus primarium seu id, in quo per se & præcipuè occupatur, ab eo, quod secundariò, extra ordinem, & quasi *ὡς ἐν παρεξέσει* tractat.  
11 Equidem si universitati ejus quis attendat, partiumque integrantium argumentum, seriem, nexum, habitum denique ad rationem integri consideret, vix negare poterit, quin ad instruendum forum, actionesque privatas, quibus jus quisque suum persequitur,  
12 cuncta dirigantur. Institutionum certè liber elementaris, remotis appendice & præmio, id solum agit, ut quod jus, & ex quibus causis civi in personas vel res competat, quoque pacto id ipsam sibi negatum iudicio obtinere possit, *κεφαλαιώδως* & summam recenset. Atqui synopses disciplinarum à justis systematibus non latitudine objecti differunt. Idem enim planè,  
13 sed concisus & minùs plenè tractant. Digesta vero juxta ordinem & capita Edicti perpetui compilata esse, verbis Hermogeniani ipse fatetur Tribunianus in l. 2. ff. de Stat. Hom. quod Edictum perpetuum nihil aliud fuit, quàm complexus & series actionum à privatis pro obtinendo jure suo coram Pratore instituendarum,  
14 qua de re infra. Codex etiam eandem ferè methodum cum Pandectis servat. Nam quæ libro primo & tribus postremis de Jure Sacro & Publico habentur, ipsa quoque appendicem potiùs conficiunt Jurisprudentiæ Justinianæ, quàm partem integrantem. Et sola reverentia erga religionem, observante Cujacio, effecit, ut jus sacrum à publico discreverit Justinianus, facto à priori operis auspicio, cum utrumque ad finem rejecerit Codex Theodosianus. Sive quod sic aliæ quoque Imperatorum Constitutiones volumini huic insertæ diutiùs superfuturae crederentur, sive quod ipsa privati Juris prudentia haut parum luminis & præsidii ab ipso jure sacrorum & publico multis locis acciperet. Quo fine & in Pandectis  
16 nonnulla ad Jus publicum pertinentia in fronte & calce operis conspici-

conspiciuntur. Fac etiam, in cæteris quoque partibus librorum 17  
Juris aliarum subinde virtutum monita & præcepta observari, an  
ideò non rectè dixeris, finem Jurisprudentiæ Justinianæ esse justitiam particularem. Equidem principale pro formâ est in mora-  
libus, & ut benè Ciceroni dictum *de Finib. V, 92.* semper ex eo,  
quod maximas partes continet, latissimeque funditur, tota res ap-  
pellatur. Grot. *de I. B. & P. III, 3. 2.* Id interim (III.) necessariæ heic 18  
quoque animadversionis est, multa passim Jure nostro proponi,  
quæ in actu quidem signato ad objectum aliarum virtutum perti-  
neant, in actu tamen exercito non minùs rectè ad justitiam parti-  
cularem referantur, quatenus auctoritate legis vel stipulationis  
interventu jus proprium & actio forensis ad vindicandum actum  
ejusmodi virtutis civibus acquisita est. Vide Grot. *d. l. II, 22. 16.*  
*III, 20. 40.* Exemplo sit actio ingrati patrono contra ingratitu-  
dinem liberti, *l. 1. seqq. C. de libert. & eor. lib. inofficiosi liberis con-*  
*tra ἀσπορίαν* parentum competens *t. t. T. T. de inoff. test. &c.* Atq;  
hoc fortasse voluit Auctor, cum de virtutibus in Jure non directò  
& proprie agi, *ὡς παρρησίᾳ* monuit. Denique (IV.) multa non 19  
per se & directè, sed reductivè & propter aliud ac veluti per occa-  
sionem ad jus civile privatum referuntur. Cujusmodi V. G. olim  
fuit L. Fusia Caninia, eo loco relata, quo de jure domini in servum  
manumissione solvendo agebatur. Sic donationes inter V. & U.  
intercessionem mulierum, mutui acceptiones filiorumfam. prohi-  
bitæ apparent, non quòd qui talia faciunt, injurii sint, sed ut, ne i-  
psis facilè injuria fiat, præcaveatur, utque contra jam factam re-  
medium juris habeant. De nuptiis autem, incestu & similibus  
propter actionem dotis &c. agi, manifestum est.

(6) Divina justitia vel subjectivè (liceat sic ἀνθρώπων παρρησίᾳ  
loqui) de eâ dicitur, quæ in Deo est, *Ps. CXIX, 137. Esa. XLV, 21.*  
non quidem ut qualitas seu accidens in suo subjecto: in Deum e-  
nim non cadunt accidentia, dicente Cyrillo *lib. XI. Thesaur, c. 1.* sed  
ita, ut cum essentia Dei simpliciter convertatur, ita ut Deus nihil  
aliud sit, quàm sua justitia. Quo illud D. Bernhaldi refer, *sermon.*  
*LXXX. super Cantic. Nihil est in DEO, quod non sit ipse DEUS.* Et  
hoc sensu de divina Justitia definitionem Jcti accipiendam duxit  
Accursius, supra nobis notatus. Vel objectivè de eâ, quæ coram 2

B 3

DEO,



DEO, potissimè ad effectum eternæ salutis consequendæ, justos  
3 nos præstat. Quæ quidem non in eo consistit, quod hominis me-  
rita peccatis suis præponderent, ut absurdè docent Ebræorum Ma-  
gistri, apud Jo. Seldenum *lib. VII. de I. N. & G. juxt. discipl. Ebr.*  
*cap. 9.* nec, quod motus animi, saltem quatenus facti produntur,  
conformes sint legi divinæ, qui Grotii error est, *in explic. decal. p.*  
*48. & lib. II. de I. B. & P. c. 20. n. 39.* unde & *precedenti n. 19.* motus  
4 concupiscentiæ inordinatos pro nullo peccato agnoscit; sed in  
habituali perfectione ac summa mentis omniumque motuum in-  
teriorum & exteriorum conformitate cum lege Dei, ac sponta-  
nea obedientia, quæ etiam minimo defectu corrumpatur. Vide  
5 B. Augustinum *lib. I. de Doctr. Christ. c. 22.* Dividitur Theologia in  
originalem seu concreatam, de qua, sed cum jacturâ imaginis di-  
vinæ dudum amissa, testantur *Eccles. VII, 30. Sap. IX, 3. Eph. IV, 24.*  
& imputativam, quæ per fidem Jesu Christi venit super omnes,  
qui credunt in eum, ut loquitur Apostolus *Rom. III, 22.* De eadem  
6 *conf. cap. X, 4. I. Cor. I, 30. I. Job. II, 1 & c.* Neutra verò studio  
Jurisprudentiæ nostræ obtinebitur, neque adeò ad finem ejus per-  
7 tinere poterit, ut rectè monet Auctor. Unde & à nostrâ cathedrâ re-  
motâ eâ cupim⁹. Quâ verò divinâ Justitiâ B. Ungepaup definiti-  
one Icti comprehendit vult, *Exerc. Justin. I, 10. in Ajo.* reverà huma-  
na potius est, sive finem spectes, sive facultatem obtinendi.

1 (γ) Sanè, ut legislator, ita & Ictus primariò intendit con-  
formitatem actionum externarum cum legibus tum quia ea sufficit  
ad salutem & tranquillitatem publicam, tum quod imperium civi-  
le requirit materiam, cujus natura in imperantis notitiam cadat.  
2 Sed tamen & internarum aliquam curam habet, non quidem per  
se, & quatenus omninò ab externis separatae sunt: tum enim lo-  
cum habet *l. cogitationis. 18. ff. de pæn.* sed secundariò, & propter  
externas, idque vel per modum mediæ, quatenus vix sibi constare  
potest exterius illud obsequium, nisi ex interiori mentis *εὐταξία*  
ac spontaneo rectoque animi motu fluat. Omne enim violentum  
ac simulatum vix admodum constans ac diuturnum esse solet,  
3 Aristot. *Problem sect. 1. n. 6.* Vel propter judicium de externis, quæ  
cum qualitates suas morales recipiant ab intentione & consilio a-  
gentis, hoc vel in primis attendere debet æquus rerum arbiter.

Atque



Atque ideo fere & conatus saltem seu delicta inchoata ob solam  
περσασσιν pœnis civilibus subijciuntur. Conf. *l. si quis servo. 20. C.*  
*de furt. & serv. corr.* Quod superest, quodam etiam quasi reper- 4  
cussu vim aliquam in interiores motus imperium civile exercere  
potest, ut, quia actio naturam indifferentem per imperantis interdi-  
ctionem facta est illicita, *Rom. XIII, 3.* ideo & cogitando talem ac-  
tionem, ut faciendam, eligere illicitum sit, non quia cogitationi  
proprie lex humana est posita, sed quia nemo honeste potest vel-  
le facere, quod factu turpe est. *Grot. de Jur. Summ. potest. circ.*  
*factr. cap. 3. n. 1.* Et hoc est, quod DD. ajunt, leges civiles etiam  
in conscientiam obligare. *Lud. Molin. Tom. VI. de J. & J. rr. V. Di-*  
*spat. 73.* *Franc. à Victoria, Relect. 4. n. 17.* De re ipsa conf. *Franc.*  
*Suarez. Tr. de LL. lib. III. cap. 13. per tot.*

QUÆST. VI.

*Particularis quomodo distinguitur?*

Est vel commutativa, quæ jubens æqualitatem in com-  
merciis servari nullamque dignitatis aut meriti persona-  
rum rationem habens, res rebus exæquat: Vel distributi-  
va, quæ honorum & pœnarum secundum cujusque digni-  
tatem & merita fit distributio. Illa juxta proportionem  
Arithmeticam; hæc Geometricam, ut ajunt, exerce-  
tur.

Ἐξηγησις.

Quia particularis Justitiæ subdivisio hæc est, oportet, utrius- 1  
que materiam aliam non esse, quam id, quod ita cuique debetur, ut  
citra *ὑπερβολήν* & injuriam ipsi denegari non possit, ne cetero qui  
plus ad speciem pertineret, quam sub genere comprehenderetur.  
Quod contra Grotium notandum, qui *de I. B. & P. I. 1, 8.* distri- 2  
butivam justitiam circa quamcunque *ἀξίαν* seu aptitudinem versa-  
ri existimat, & ut contra Aristotelem probet, in rebus etiam non  
communibus occupari justitiam attributricem, exemplo utitur  
morituri de re sua secundum merita cujusque legantis. Atqui ta-  
lis, nisi me omnia fallunt, a sum potius beneficentiæ & gratitudi-  
nis, quam justitiæ particularis, exercet, cum ad ea, de quibus ul-



timã voluntate disponit, legatarii jus nullum propriè habeant, quod iniqua distributione lædi possit. Vide Dominic. Bannes *de*  
 3 *R. & J. quest. 58. art. 1. conclus. 3.* Id interim benè ad eodem Grotio animadversum, justitiam commutativam à distributiva obje-  
 4 cto seu materia circa quam formaliter distingui; quod tamen non obstat, quò minus utramq; diverso etiam proportionum usu cum Auctore nostro & ipso Philosopho rectè fecernas. Est enim diversi hujus objecti ea quoque diversa proprietas & adfectio, ut utrobique aliter æqualitatem investigare nequeas, quàm si in justitia distributiva proportionem serves Geometricã, in commutativa arithmeticam. Ostendamus autem primò ipsam objecti diversitatem, deinde naturam utriusque proportionis ex ipsã doctrina Mathematicorum, quorum hi termini proprii sunt; altiùs repetamus, quo asserti nostri veritas luculentius appareat. Horum ergò, quæ alicui debentur, aliud τὸ κοινὸν dicitur Aristoteli, aliud ἐκ τῶν συναλλάγματι & debitum; quorum illud civibus debetur ex rebus communibus, quatenus alicujus communitatis socii & membra sunt; quod quidem tantò majus est, quanto ipsa pars majorem principalitatem habet in toto, ut mentem Philosophi exprimit D. Thomas *IIa. IIa. quest. 61. art. 2.* hoc vero ex rebus non communibus alter alteri ex quacunque causa civili debet, ut ipsi peculiariter ac soli, non quatenus cum ipso in societate quadam versatur, competat. Tam latè enim extendi vim vocabuli συναλλάγματι &, contra eundem Grotium pridem observarunt Mich. Ephesius & Hub. Gifanius *Comment. ad d. 1. Aristot. Conf.*  
 7 Andr. Tiraquel. *ad L. Connub. IV. n. 8.* Porro analogia seu proportio Aristoteli *Eib. V, 3.* in genere definitur ἰσότης τῶν λόγων, i. e. exæquatio seu pariatio aliquarum summarum; quæ vel simpliciter per subtractionem & additionem fit, quod ἀριθμεῖν Græci vocant, vel per divisionem, quod γεωμετρεῖν, seu mensurare, iisdem dicitur.  
 8 Arithmetica igitur proportio exæquatio est inter duas summas inæquales, v. g. 12. & 16. quæ æquantur invicem, si excessum majoris summæ, nempe 4. pro dimidiã parte addas minori, ut sic utrinq; fiant. 14. Contra mensuralis seu geometrica proportio æqualitatem duarum pluriumve summarum inæqualium investigat per tertium quendam numerum cunctas illas summas mensurantem, beneficiò

beneficio regu'æ, quam Arithmetici κατ' ἐξοχὴν proportionis, vulgò  
de Tri, vocant. Esto exemplum, quod appositum est ad rem no- 10  
stram. Constat communio quædam sorte 300. ad hanc Titius  
contulit 200. Mævius 100. lucrantur 12. Hic eadem mensura lu-  
cri, quæ metitur 300. metietur etiam singulorum collatas portio-  
nes. Quoties ergo insunt 12. in 300. toties quoque inerunt in  
portione fortis Titianæ & Mævianæ, lucrumque adeò distribuent  
æqualiter proportione Geometrica. Sunt autem 12. in 300. vici-  
es quinquies, & metiuntur 300. per 25. Ergo & singulorum col-  
lata sorte divisæ per eundem numerum 25. ostendent quantita-  
tem ex lucro singulis debitam. Si enim Titii 200. divides per 25.  
prodibunt 8. ; si Mævii 100. ex lucro habebit 4. Differunt igitur 11  
hæ proportionibus invicem non sine; utraque enim æqualitatem  
intendit ac tuetur: neque actu subtrahendi vel addendi. Nam &  
si Titius, quem dixi, 7. Mævius 5. haberent ex lucro 12. Geome-  
trica subtraheret Mævio unum, adderetque Titio; sed modo in-  
vestigandi æqualitatem, quod in Arithmetica fit simplici additio-  
ne & detractio, ut ipsæ summæ invicem pares fiant; In Geome-  
trica divisione seu mensuratione diversarum summarum per com-  
munem numerum mensurantem, quæ ipsas quidem summæ dis-  
spares ut plurimum producit, ut tamen æquales sint, si cum di-  
versa conditione, quam in communione habent, quos inter fit  
distributio, comparentur. Requirit ergo usus proportionis Geo- 12  
metricæ in applicatione ad objectum Juris (1) rem communem (2)  
inter duos minimum ita dividendâ, ut in alterutrius portione æ-  
qualitas aliter agnosci nequeat, nisi respectus & comparatio ha-  
beat ad alterum, prout is majorem minoremve dignitatem seu  
statum in communione habet. Et ejusmodi rem communem  
objectum adæquatum Justitiæ distributiæ esse, supra ex Aristote-  
le probavimus. Contra Arithmetica proportio in eadem Juris 13  
materia unius duntaxat personæ, cui peculiariter quid debetur,  
habitudinem ad ipsum debitum componit, &, si plus minusve æ-  
quo habet, simplici additione vel subtractione ad æqualitatem re-  
ducit. Atque ex his omnibus perspicuum est (I) in actione pro 14  
socio æqualem lucri & damni distributionem non aliter posse fi-  
eri, quam servata proportione Geometricâ; ut mirum adeò sit, 15  
post Lud. Molin, tom. I. de J. & J. tr. I. disp. XII. n. 4. viros alioqui sum-  
mos

mos in contrarium tantopere niti, saltem, ut auctoritatem Philo-  
sophi in eo tueantur, quod (1) omnes contractus seu συναλλάγμα-  
τα, & consequenter etiam contractum societatis, ad objectum  
Justitiæ commutativæ retulerit; [2] Distributivæ Justitiæ materi-  
am sola dixerit esse bona vel mala publica inter cives partienda;  
contractum v. societatis versari circa res privatorum. Sed neu-  
16 trius fortassè in mentem venit Aristoteli. Certè non posterioris,  
cùm, ut supra ostendimus, Justitiæ distributivæ objectum adæ-  
quatum faciat τὸ κοινόν, eandemque VII. Eudem. c. X. ἕπι τῆς  
ἐξ ἑαυτῶν κοινωπιῶν, circa quasvis societates versari ipse contendat.  
At qui etiam privatas non minus societates rectè dixeris, quam il-  
lam publicam civilem. Et nulla ratio differentiæ idonea adfer-  
ri potest, cur alia Justitia occupari debeat in bonis communibus  
publicis ex æquo dividendis, alia in privatis. Exempla verò  
honorum ex Republ. Aristocratica & populari ab Aristotele d. c.  
III. lib. V. proposita illustrandæ rei, non determinandæ inservi-  
17 unt. Quantum ad prius, vereor, ut ex synallagmate sec. mentem  
Aristotelis sit, nisi fortè per accidens, si v. g. ré hæcenus communè  
quisque pro sua parte possessurus divisionem æquam instituât (II)  
18 Quoad exemplum honorum, cujus mentio apud Auctorem n. est, id  
quoque ex superioribus clarescit, non semper eorum distributio-  
19 nem procedere ex præcepto Justitiæ distributivæ. Neque enim  
in quavis Repub. quos ad honores & Magistratus publicos pote-  
stas civilis admittit, suo jure vocantur, sed imò alicubi ex merâ  
gratia & arbitrio Imperantis. Quod quidem in παρβασιλία seu  
statu pure Monarchico certissimum est, ubi, si Princeps digniorè  
minus digno postponat, etsi forte in officium rectorium impin-  
gat, v. Christ. Forstn. not. Pol. ad Tac. I. Ann. p. 97. & seqq. Christ. Be-  
sold. diss. de præm. c. poster. n. 144. & seqq. nullius tamè jus propriū læ-  
dit. Neque n. ibi Imperii publici aliqua cum subditis communitio  
20 est, cujus nempe subjectum proprium est Princeps. Atque hic  
demum locum habet, quod Grot. ait de J. B. & P. II, 17, 3. non id a-  
licui suum esse, ad quod aptus est. Et suprâ exemplo morituri o-  
stendimus, non quamvis analogicam distributionem necessitatem  
juris statim præsupponere, aut citra ἀλογίαν omitti vel secus  
fieri non posse: Cui adhuc majorem lucem ab exemplo præde mi-  
litaris ex eodem Grotio III, 6, 14. seqq. promitteremus, si institu-  
ti

si ratio id pateretur. Secus se res habet in civitate optimata.  
vel populi, qui cum verè socii invicem ac cives sint, inq; commu-  
nitione regiminis publici versentur, v. Arist. *III. Pol. 3.* tanto plus  
etiam ad quemque ex eo pertinebit, quanto majori virtute & à se  
ipsam Rempub. pro fine ejus sustentat. Id quod elegantissimè do-  
cet Philosophus *d.c. 3. lib. V. Eth. & c. 6. l. III. Pol.* Quod superest  
(III) illud etiam ex præsuppositis consequitur, errare Auctorem.  
cum Wesenbecio suo, dum æqualem pœnarum irrogationem fie-  
ri docet ex præscripto Justitiæ distributiæ secundum proportionē  
geometricam. Neque enim pœna à toto venit ad partes, quæ tales,  
ut benè monet Grot. *II, 20, 2.* nec ideò quis punitur à Repub. quia  
civis & pars communitatis est, sed quia facto suo proprio se solum  
pœnæ obnoxium fecit. Et sufficit, unius delinquentis facinus cum  
pœnâ simpliciter comparasse, ut de æquitate vel iniquitate hujus  
judicare possis, positò etiam, quod nemo unquam alius idem ma-  
lificium commiserit, cum cujus pœna tuam componas. Denique ex  
mero accidente fit, ut propter quod delictum v.g. pauper uno, pro-  
pter idem dives 100. imperialibus puniatur, pari utrobique meri-  
to simplici proportione pœna, haut secus, ac pretium eodem pa-  
cto æquale est, etsi pro ulna panni holoserici Mediolani dimidiū,  
Lipsiæ sesqui aureum solvas. Sed hæc solidiùs excussa videas  
post Cōment. *Arist. Eth. V, 5.* apud Dom. à Soto *de J. & J. III, 5, 1.*  
Hornej. *Phil. Mor. III, 13, 13.* Dn. Musæum, *disput. Eth. utrum equali-  
tas inter delictum & pœnam geometrica, an arithmetica proportione  
sit constituenda,* Dn. Hahn. *part. 1. Obs. Wes p 30. seqq.* Dn. Struv. *d. l. n.  
29. seqq.* Rectè interim pœnarum irrogatio ad actum justitiæ par-  
ticularis refertur, cum, si non, vel remissiùs punitur facinorosus,  
is, qui læsus est; sin atrocius meritò, ipse delinquens veram patia-  
tur injuriam, prius exemplo suo confirmante Philippo & Pausaniâ  
apud Justin. *Histor. IX, 6.* cum quo conf. Jan. Gruter. *Not. ad Liv. I, 14.*  
Adde de posteriori gravissimam orationem Mediolanensium apud  
Fr. Gvicciardinum *Hist. Ital. lib. XVII. p. 539. seq.* Utrumque ergò  
præcaveri & corrigi, justitiæ munus est. Conf. Gregor. de Valent.  
*Tom II. de J. & J. disput. V. quest 2 punct. 1.* Aliter Grotius *de J. B. &  
P. II, 20, 2.*

C

QUEST.

QUÆSTIO VII.

Annon ergò videtur, quod respectus personarum,  
à DEO prohibitus, nostro jure tolleretur?

Nequaquam. Est enim *περὶ ὁμοιοσύνη*, quando sine  
iusta ratione aliter jus redditur in hac, quam in alia perso-  
na; scil. ex favore vel odio personæ tantum, vel ex alio  
principio, quod ab æquitate & justitia non comprobatur:  
In justitia autem distributiva jus diversimode dicitur ex  
causa, quam æquum & bonum svadet, pro hujus vel illi-  
us personæ qualitate.

Εξήγησις.

- 1 Quatenus certa personæ qualitas & cōditio objecto justitiæ  
intrinseca est, ita ut ad quantitatem ejus constituendam necessaria  
sit, respectus illius omitti non potest, quin inevitabili iniquitate  
corrumpatur iudicium. Vide Jo. Bodin. *de Repub.* VI, 6. In justitiā
- 2 distributiva ob superius dicta res dubio caret. In contractibus  
quia jus ex voluntate contrahentium constat, quantò ea liberi-  
or ac firmior, tanto ipsum etiam jus firmiter ac validius est. Un-  
de non sine causa, quæ restitutio minoribus ob lubricum ata-  
tis permittitur, majoribus negatur, & adversus intercessionem  
suam exceptione tuta est femina, quæ ad solutionem cogit meli-  
orem sexum. Quoad contractus involuntarios cùm ad æstimati-  
onem pœnæ, tum delicti plurimum sæpe momenti adfert respe-  
ctus personarum. In delicti magnitudine constituenda do-
- 3 lus cum primis attenditur & ipsa læsio seu damnum. Atqui v. g. in  
infantibus, furiosis, fæminis, iratis, ebriis minor ferè dolus & ma-  
litia est, quàm in maribus, sobriis, iis denique, qui viridi ætate,  
mente sanâ, & à vehementiori adfectu liberi sunt. Unde in illis  
mitiores quandoque pœnas decerni, haut abs re est. Vide omni-  
no Senecam *de irâ* I, 16. Andr. Tirzaquel. *lib. de pœn. leg. temp. aut*  
*remitt. caus.* 1. 2. 6 7 9. & c. Dn. D. Tabor. *Anal. Expos. Art. 159. ord. Ka-*  
5 *rol* §. 24. *it. ad Art. 164. §. 2. & 6.* Sic quia major quæque læsio, quò di-  
gnior est persona, quæ læditur, adeoque semper, ut Salvianus in-  
quit *lib. VI. de gubernat. Dei. pag. 327. per dignitatem injuriam perfe-*  
*reno*

ventis crescit culpa facientis; (vid. ibi Rittershus. in nor.) ad-  
hæc perniciosiori in publicum exemplo gravius læditur Respub.  
si opinione virtutis vel sanctitatis venerabilior persona delin-  
quat; neque hîc mirum, si propter hos etiam respectus durio-  
rem poenam patiatur reus. Vide l. Presbyteri. §. C. de Episc. &  
Cler. Denique in æstimandâ poenâ ipsa passio seu cruciatus ut- 6  
plurimum diversus est pro diversô statu delinquentium. Fac  
propter idem delictum eadem deportationis poena adfici nobi-  
lem & abjectissimæ sortis civem, annon ille haud parum gravi-  
us affligeretur, qui præter civitatem, quam hic solam amittit,  
famæ insuper, honorum opumque jacturam faceret? Pertinet  
huc exemplum egeni & divitis antea propositum. Atque hos 7  
respectus passim accuratissimè Jus nostrum observat, ut etiam  
suspicionem *ωρσωπολησίας* obiter id intuenti Grotio exci-  
tât II, 20, 33. Quæ verò personarum consideratio extrinsecè se 8  
habet ad objectum Justitiæ, & jam constitutâ æqualitate, id in  
gratiam personæ agitur, ut ab illâ discedatur; ubi, quando Ca-  
to pro scelere animadvertendum, Cæsar parcendum dignitati  
censet, Flor. IV, 1. & vetus nobilitas, majorum fortia facta, co-  
gnatorum & affinium opes, multæ clientelæ præsidio adsunt, ut  
Marius inquit apud Salustium, *fugurib. 85.* denique si pater im-  
peret filio, ut sententiam dicat, contra quam existimet, Quin-  
tilian. *Declam. CCLXXI.* hæc, inquam, consideratio evertit  
justitiam, judicioque tam divino, quàm humano damnatur.  
Vide *Exod. XXIII, 3. 6. Levit. XIX, 15. Deut. I, 17.* Nulla istæ excu-  
sationes sunt, inquit Cic. *Phil. 5. meus amicus est, meus cognatus*  
*Ec.* & oportet, ut Philo ait, *τὰ πράγματα ἀφέλκειν τῆς τῶν*  
*δικαζομένων φαντασίας, abstrahere res à litigatorum respectu.* Cō- 9  
cludimus ergò cum Cl. V. Matth. Berneggero *sub fin. quest. 60. in*  
*Tac. Germ. eam admittendam esse ωρσωπολησίαν, quæ judi-*  
*cio suscipitur, non quæ regitur adfectu.*

#### QUÆSTIO VIII.

### Quid in ambiguis faciendum?

Nihil tribuendum est gratiæ (a) aut amicitia. Ve-  
rum partes sunt judicis, verba ambigua explicare in-



contractibus seu conventionibus contra eum, qui ea protulit (β) *l. veteribus. 39. D. de pact. l. 21. l. 33. D. de cons. sr. emt.* In legibus, statutis, testamentis & libellis judicialibus secundum eum, qui locutus est *l. 1. l. fin. C. de legib. l. 50. inf. D. de legat. l. 66. D. de Judic.* Sin autem in facto (γ) dubitatio sit, judicabit judex pro reo (δ) *l. 4. C. de edend.* Si in jure, cum æquitas (ε) pugnat cum expressa legis sanctione, relationem faciet ad Principem *d. l. 1. fin. C. de legib.* Si leges & rationes juris æquè prægnantes utrinque militent (ζ) nec aliud circumstantiæ ob possessionem, causæ favorem aut odium, (η) ob qualitatem justam personarum (θ) svadeant, rem controversam pro rata dividet (ι) inter litigantes *arg. l. adeo. 7. §. cum quis ex aliena. 7. vers. est tamen ff. de acq. rer. dom. vel ad transactionem partes inducet. (κ).*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

1 (α) *Via enim juris ejusmodi est, ut nihil sit loci gratia, dicente Tullio ad Quint. Fratr. l. Ep. 2. & benè faciunt Jcti, qui casum pro amico dari, absolutè negant. Ant. Tessor. Decis. Pedem. 89. Schotanus noster Disput. I. ad π. th. 7. haut parum tenerioris conscientiæ ipsis quibusdam, si Diis placet, conscientiarum moderatoribus, qui in quæstione inter Dd. controversa permittunt Scabinatibus eam sententiam sequi, quæ consulenti exoptatior sit, quamvis sibi contraria videatur verisimilior; quo nomine passim eos in Epistolis suis provincialibus perstringit.*  
2 Ludov. Montaltius. Dubito etiam, an admitti debeat discrimen inter res mediocres & majoris momenti, quod hic facit Grotius, de J. B. & P. II, 23, 5.

1 (β) Habet enim, quod sibi imputet, qui non apertius locutus est, *d. l. veterib. 39.* alter autem, quod plures sensus recipiebat, id suo jure accipere potuit in partem sibi utiliore, Grot. III, 20, 26. Quæ simul ratio est, cur id eo de muni casu procedat, quo res conficitur duorum consensu. Ubi enim negotium detur à voluntate unius, ejusmodi exempla de legibus, testamentis.



amentis, libellis &c. subjicit Auctor, non potest alia, quàm hæc, respici. Atqui in dubio id quisque verbis ambiguis præsumitur voluisse, quod sibi utilius est, cum nemo credatur sibi voluisse damnum inferre. Atque huic suæ voluntati cum non alia contraria tum obstiterit, sola adhuc prævalet, ut secundum eam quoque solam fieri debeat interpretatio.

(γ) De facto dubitatur, quando per contradictionem rei & defectum probationis incertum est, an reverà factum sit, quod factum esse adversarius contendit, inq; eo actionē vel accusationē suā fundat. Contrà de Jure dubitatio est, quādo, facto liquido, ambigitur, qualis lex huic facto justā sententiā debeat applicari. Quo casu vel lata est certa lex de hoc genere facti, vel secus. *Ibi* vel dubitatur propter obscurum & ambiguum legis sensum, vel sensus legis apertus aut ratio, ut paulò iniquior, in dubium vocatur. Idq; vel in iisdem terminis, in quibus generaliter ipsa lex versatur, vel in terminis facto huic propriis propter singulares quasdam ipsius circumstantias. *Hæc*, ubi propria lex deficit, aut aliæ præsto sunt, quæ casus similes definiant, aut nullæ. Illo casu non levi dubitatione distrahi potest iudex, si leges istę facto controverso æque affines sententiis discrepent, invicemq; quasi de victoriā contendant. Ita (fallor forsitan) distingvi possunt, quæ negligentius posuit Auctor.

(δ) Ratio, quia in dubio sequi oportet id, quod tutius est, ne temerè periculo nos objiciamus. *c. juvenis. 3. ibi Gl. ff. lit. H. & P. norm. n. 1. X. de Sponsal.* Atqui tutius est, nocentem absolvere, quàm condemnare reum. Το μὲν ἀμαρτημα δὲ, ὅτε ἀδικῶς ποικτεῖναι ἀσέβημα; in illo enim error est, in damnatione insentis facinus, Antiphon apud Grotium II, 25, 5. Exemplum de Annibale vide apud Val. Maximum lib. VII. cap. 8. Adde, quod etiam, quos injuria invisos faciunt, gratiosos miseria reddant, dicente eodem Valerio V, 3. Atque hæc rationes in judiciis pœnabilibus potissimè valent. In civilibus pro reo favor facit possessionis, si res; vel libertatis, si factum vel præstatio ab ipso exigatur, cujus utriusque causa in dubio potior est. *l. fin. C. de R. V. l. 38 ff. de Re jud. Molin. d. l. disp. 103. n. 4. Jacob. Menoch. præsumt. III, 89. Jos. Mascard. de Probat. vol. II. Concl. 979. Favorabili-*

hora enim per naturam, quæ nullam inducunt mutationem  
Grot. III, 20, 12. Adde III, 21, 21.

- 1 (e) Hoc est, quando indubiè Judici constat, legem in termi-  
nis suis propriis id intendere, cui cum æquitate non conveni-  
at. Atque hoc vel opponitur illi, quod morali necessitate fi-  
eri oportet, vel quod fieri melius saltem humaniusque est se-  
cundum judicium rectæ rationis. Posteriori casu quia lex,  
2 quamvis ob urgentem fortè rationem status dura, injusta tamè  
non est, manente eodem statu promiscuè eam Judex sine relati-  
one sequetur. Quò pertinet *l. prospexit. 12. §. 1. ff. Qui & à quib.*  
3 *man.* Priori casu, aut etiam ubi posteriori cessat ratio urgens,  
relationem faciet ad Principem, an abrogatâ vel temperatâ le-  
ge sententiam ultrò mutare velit *l. 1. C. de LL.* Et, si velit, benè est:  
sin nolit, posteriori casu adhuc obsequatur, *jussaq; Principis ex-*  
4 *equi, quam interpretari malit, Tacit. Histor. 11, 39, 3.* Conf. Gelli-  
um *Noct. Att. 1, 13.* Priori verò ipse quidem legem non mutet;  
hoc enim esset invadere partes Majestatis, Principique se op-  
ponere, quod nunquam fas est subditis, vide Arnisæi *lib. de au-*  
*toritate PP. semp. inviolabili.* sed ministerium saltem suum im-  
perio illicito detrectet. *Si enim benè precipiunt, qui vetant quis-*  
*quam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum, Cicer. de Offic.*  
*1, 30.* quanto magis abstinendum, ubi certum est, *ministerium*  
5 *crimen fore, Plin. Jun. Epist. III, 9.* Adde Sophoclem in *Anti-*  
*gone vers. 456 seqq.* Grot. *de J. B. & P. III, 26, 3.* Caterùm ubi  
lex in propriis terminis non iniqua est, sed factò applicata pro-  
pter peculiare hujus qualitates duriorè fortè definitionem,  
relinqueret, hoc casu Judicis ipsius erit, commoda eam inter-  
pretatione juvare, qua de re deinceps.

(ζ) Nempe si vel ipsum factum tot difficultatibus & quasi  
tenebris involutum est, ut neutrius litigantium jus magis al-  
tero se proferat; vel rationes juris, quæ ex argumento similiū,  
sed certantium invicem legum petuntur, ab utraque parte ex  
æquo militant. Conf. Jac. Godofr. *ad l. 10. l. 17. l. 20. l. 33. l. 85. pr. l.*  
*104. l. 126. l. 172. ff. de R. J.*

(η) Exempla quædam ac regulas favorabilium & odiosorum  
vide apud Grotium, *II, 16, 10.*

(θ) Quæ in partem alterutram idoneas conjecturas suppe-  
ditet,



dicet, ad quas defectus evidentioris demonstrationis utiliter, saepe recurritur. Leonh. Lessius, *Tom. I. de J. & J. Disp. 6. sect. 10. n. 99.* Apprimè huc facit exemplum in Sacris *I. Reg. III, 26.* Ejusdem generis sunt, fortè, quod unus magis sublesta fidei & corruptioris fama altero sit, aut astutior, & ad fraudes ac injurias propter avaritiam potentiamvè proclivior; quod immodicum habendæ rei vel vexandi adversarii studium apud alios testatus sit &c.

(1) Ubi enim jus ambiguum est, & neuter possidet, aut ex e-  
quo uterque, ibi iniquus censendus erit, qui oblatam rei con-  
troversa divisionem repudiat, quod judicium est Grotii *II, 23, 12.*  
Præsumitur enim hoc casu, cum res aliter exitum habere ne-  
queat, pro utroque, adeoque res quasi inter ipsos communis  
pro parte cuique deberi censetur, quam sic ab altera per sen-  
tentiam separet iudex. Pertinet huc exemplum quæstionis  
Chryssipeæ apud eundem Grot. *II, 16, 19.* Conf. citatos Dn. Struv.  
*Ex. II. tb. ult.* Quod si res commodam divisionem non recipiat, 2  
sorti eam permittit B. Carpzov. *Jurispr. for. III, 15, 41, 2.* cujus &  
alibi saepe usum in ejusmodi controversiis dubiis tam leges no-  
stræ, quam Sapientum judicia & exempla probant. Vide *Pro-*  
*verb. XVIII, 18. §. 23. in f. 7. de Leg. l. 14. ff. de Judic. l. ult. C. Comm. de*  
*Leg. D. Augustin. de Doctr. Christ. I, 28.* Ventur. de Valent. *Par-*  
*then. litig. II, 5, 8. seqq.* Osv. Hillig. *Don. Enucl. XVII, 12. T. & o-*  
*mnium abundantissimè Andr. Tiraq. Tom. I. oper. lib. de Jur. Pri-*  
*mogenit. quæst. 17. opin. 1. per tot.* Superstitiosas verò illas litium 3  
diremptiones per ferrum candens, de quo apud Phil. Camerar.  
*Cent. II. Hor. succis. cap. 18. & 19* aquam, fervensque oleum apud  
Brunner. *lib. XIII. Annal. Boicor. p. 532.* denique per duella seu  
*Xi. Reg. d. xlv.* majoribus nostris maximè usitatam, (vide Grot.  
*II, 20, 8. annot. Boecler. ad d. lib. II. cap. 1. n. 15. p. 31. seqq. Valent. d.*  
*l. II, 2, 5.)* nostri seculi religio rectè damnat.

(2) Quasi vel hoc maximè casu de suo jure virum bonum ali-  
quid relaxare, non solum liberalitatis, sed etiam commoditatis sit,  
censente D. Ambrosio *de Offic. II, 2.* dum, ut dixi, res ad finem  
perduci, litisque necessitas aliter remitti commodè nequeat.  
Atque ita consulere Aratus Sicyonius & Ferdinandus Catho- 2  
licus apud Grot. *III, 16, 6. & Annot.* Rectè autem inducet,  
non



non coget ad transactionem. Vide Fr. Polletum *lib. 111. Fori, cap. 12.* Nec enim ad hoc imperium aliquod Prætori datū apparet, & judicis est, judicare, non id agere, ne judicet. conf. Jac. Menoch. *de arb. Jud. qq. & caus. lib. 11. cent. 5. Cas. 442. n. 7. 8.*

## DE JURE.

QUÆST. IX.

### Quid est Jus?

Appellatio Juris est polysema. Denotat aliquando ipsum æquum & bonum, principia, ipsasque rationes, quibus leges constant & valent. *l. pen. D. b. t.*, aliquando jus constitutum, *l. pen. D. b. t.*, aliquando sententiam, *d. l. pen.* vel locum, in quo jus redditur. *d. l. pen.* aliquando cognitionem sive necessitudinem. *l. fin. D. h.* aliquando potestatem dominicam vel patriam. *l. 1. D. de his, q. sui v. al. jur.* aliquando remedium. *pr. Inst. de action.* aliquando systema præceptorum de bono & æquo.

Εἰρηνοῖς.

- 1 De variis vocabuli Juris acceptionibus videri potest Budæus, *Comment. ad l. 44 ff. de usufr.* Dn. Hahnus *part. I. Obs. Wes.*
- 2 *p. 41. seqq.* Rebhan. *Hodeg. Jur. Chart. H. clim. 1. §. 8. lit. A.* Potiores sunt, quod (I) abstractè & formaliter significet ipsam rationem æqui & boni societatis conservatricem, Dom. à Soto, *de J. & J. III. 1. 1.* Grot. *I. 1. 3.* quo sensu Justitia à Jure descendere, ejusdemque effectus esse dicitur Ant. Fabro, *Jurispr. Papin. I. 1. 1.*
- 3 [II] materialiter & concretè, quo pacto rursus vel legem significat seu constitutionem jubentem æqua & bona, sive mutabilis ea sit, sive immutabilis: unde jus aliud naturale, aliud legitimum Aristoteli *Eth V. 7. Rhet. I. 13.* vel [III] habitum sive doctrinam Juris, quam alio nomine Jurisprudentiam dicimus. Ita accipitur in *Rubr. tit. Inst. & ff. juncto §. 1. J. & l. 1. pr. ff. h. t.*
- 4 Unde Juris studiosi, *l. 1. ff. de Adseß. l. 9. de pen.* Vide omnino Franzk.

Franzk. *Cöm. ad d. t. ff. de I & I. n. 44. & seqq.* Vel [IV] qualitatē s  
personæ moralem ad aliquid justè agendum vel habendum per  
leges ipsi quæsitam, *l. 10. pr. ff. b. l. 2 vers dominorum ff. de his, qui  
sui vel al. j.* Hinc jus sanguinis *l. 8. ff. de R. I. cognationis, §. 6.*  
*Inst. de cap. dim.* Sic actio jus dicitur *pr. Inst. de action. & Prætor  
jus dicere, i. e. facultatem ejusmodi per sententiam alicui con-  
ferre aut confirmare dicitur, l. 12 ff. b.*

QUÆSTIO X.

Cum pro systemate (a) præceptorum accipitur,  
quomodo definitur?

Ars æqui & boni. *l. 1. ff. b. vel divinarum ac humana-  
rum rerum notitia, justī ac injusti scientia, §. 1. Instit. l.  
10. § 2. ff. b.*

Εὐνομία.

Vel rectiùs pro habitu seu disciplina Juris. Vid. Jo. Frid. 1  
Horn. *Proem. part. Archit. de Civit. cap. 1. n. 2.* Et subjectæ defi- 2  
nitiones reapse conveniunt. Ars enim in priori vulgariter & 3  
eo sensu accipitur, quo & D. Chrylostomus in *II Corinth. VII, 13.*  
prudentiam Politicam *τέχνην τεχνῶν πάντων ἀνωτέραν*, *artem  
omnium artium sublimissimam* vocat. Æquum verò & bonum,  
quarum vocum solemnī apud Latinos Auctores & emphatica  
conjunctio est, omnem latitudinem ejus, quod vere ac intrinse-  
ce justum est, exæquat. Sanè *ius ex æquo & bono* constare, do-  
cet Auctor *lib. ad Herenn. II, 26.* & Salustius *Jugurth.* æquum  
& bonum juri gentium opponit, ubi hoc flagitiis legatorum  
favet. Ita quoque Seneca *de Clem. I, 18. in mancipio*, inquit, *co-  
gitandum, non quantum id impune [connivente Jure civili] pati  
possit, sed quantum tibi permittat æqui boniq; natura.* Conf. *l. 32 ff.  
de R. C.* Est igitur secundum hæc Jcti, ex certis principiis *τέχ- 5  
νῶν* demonstrare & contendere, quid quaque in re bonum ac  
justum sit, fierique oporteat, & leges etiam seu jus positivum,  
sicubi ob generalitatem suam vel majoris rei impedimentum,  
à rectâ ratione abluunt, tempestivâ interpretandi dexteritate  
huc flectit. A quo munere ipsum æquum bonum Aristoteli 6  
D etiam

etiam ἐπ' ἀνόρθωμα τῶν νομίμων δικαίως, correctio juris legitimi di-  
 citur, d.l.V. *Eth. cap. 10. n. 11. Conf. l. 2. §. 8. in ff. Si quis caut. in jud.*  
*ff. Briffon. lib. I. de V. S. verb. Æquum. Franzk. d. l. n. 47. seqq.*  
 7 Planè idem sibi vult posterior Ulpiani definitio, cui Jurispru-  
 8 dentia est scientia ejus, quod in quaque re justum vel injustum  
 est. Revera enim scientia genus hujus definitionis, non notitia,  
 quæ vox saltem conditionem objecti materialis exprimit, quod  
 9 in quavis scientia, non demonstrare, sed qualitercunque præ-  
 cognitum habere oportet. Vide Jac. Zabarell. *lib. de Trib. præ-*  
*cogn. cap. V.* Sunt autem objectum materiale res divinæ & hu-  
 manæ, quod commune habet Jurisprudencia cum aliis etiam,  
 disciplinis. Unde Euripides in *Helena, vers 928. seq.* turpe esse  
 censet, τὰ μὲν σε θεῖα πάντα εἰδέναι, καὶ τ' ὄντα. Καὶ δὲ δίκαια μὴ  
 εἰδέναι, omnia divina & humana scire, ignorare tamen justa. Co-  
 10 gnoscuntur igitur hæ res & sub alia, quàm justis, ratione. In spe-  
 cie ea Imperii civilis ac cujusque Reipub. conditio est, ut sine  
 cura tam divinarum, quàm humanarum rerum salva esse ne-  
 11 queat. De humanis res certa; & imò de divinis quoque, si reli-  
 gionem Plutarchus verè dixit (ὡκετικὸν ἀπάσης κοινωρίας coa-  
 gulum omnis societatis καὶ νομοθεσίας ἐρείσμα, & legislationis fun-  
 damentum. *Conf. Cicer. de Nat. Deor. I, 4. Chr. Forstner. ad lib. I.*  
*Annal. Tac. p. m. 103 seqq. Christ. Ad. Rupert. Dissert. I. ad Val.*  
*Max lib. 1. cap. 1. Pius Mutius, consider. CXVIII. sopra il primo li-*  
*bro di Corn. Tacito.* Hinc, qui imperio civili exuebantur, o-  
 mnia divina & humana, solemnè formulâ dedebant victori, *Liv.*  
*I, 37. in f. & Aristot. Pol. VII, 8.* ad leges etiam ἐπιμέλεια περι-  
 12 τὸ θεῖον, curam circa divina refert. Quod quidem cum nec ipsi  
 Pontificii Scriptores prorsus inficiari queant, quorum verba  
 exhibet Grotius *de Jure Summ. Pot. circ. Sacr. cap. 1. n. 9. & 14.* ipsi  
 viderint, an sine injuria ac summo cujusque periculo fa-  
 ctum sit, quod Rom. Pontifex cunctis Christiani orbis Rebus-  
 pub. præcipuum hoc securitatis suæ pignus subtrahere, sibi  
 que soli vindicare ausus est. Vide Thomæ Mortoni, *Tr.*  
*de auctorit. & dign. PP. Christ. cont. Bellarm. lib. de off. Princ.*  
*Christ. Laurent. Banck, de tyrann. Papa. c. 5. & 6. Jac.*  
*Lampad. de Repub. Ro-Germ. part. I. §. 21. Conting. de*  
*Maj. civ. aut. & offic. circ. Sacr. n. 21. seqq.* Habet ergò hoc  
 cum

eum tota civili prudentia Jus nostrum commune, quod ipsum  
etiam in rebus divinis pariter ac humanis versatur; in eo autē  
differt, quod non aliter res istas consideret, quam sub ratione  
justi, tanquam objecti sui formalis. Hanc enim duntaxat ad-  
fectionem, nempe justitiam, de quibusvis rebus, ex certis ac  
firmis principiis, sive talia sint absolutè, sive ex hypothesi, ἐπι-  
στημικῶς & scientificè demonstrat. Quæ demonstrationes etsi  
hic, quippe in materia morali, non ita omnibus numeris perfe-  
ctæ sunt, ac in mathesi, Grot. de J. B. & P. II, 23, sufficiunt tamen  
ad scientiam ἀποδεικτικὴν, ut prolixè docet laudatus Conring.  
Tr. de civ. prudent. cap. 8. Jurisque adeò prudentiam, ut & totam  
doctrinam civilem, non tantum prudentiam, sed & scientiam,  
diverso tamen respectu, rectè dici seq. cap. 9. adstruit, quem hic  
vide. cōf. Barth. Chassan. Catal. glor. mūd. part. X. consid. 18. & pecu-  
liari libro Petr. Gilken. Dissent. Tim. Faber Dissut. II, 6. Bernh.  
Sutholt. I, 37 seq.

Atque ex prædictis lux etiam sequenti quæstioni affulget

#### QUÆSTIO XI.

*Quomodo explicatur hæc definitio?*

Quod sit ars, quæ in omnibus rebus divinis ac hu-  
manis, quid justum, quid injustum, quid æquum aut  
bonum sit, demonstrat.

#### QUÆSTIO XII.

*Quomodo jus, quod proponitur in scholis, di-  
viditur?*

Est vel divinum, quod Deum habet auctorem:  
vel Canonica, quod à Pontificibus est profectum:  
vel civile, quod Imperator Justinianus collegit vel  
constituit.

Ἐξήγησις.

Posses hæc tria à causa efficiente Juris positivi distingve-  
re, quæ ubique summa est potestas, eademque vel divina, unde  
Jus divinum; vel humana, quæ iterum ex more dicam? an cor-  
rupte-



ruptelis seculi nostri vel Ecclesiastica, unde Jus Canonicum, &  
vel Politica, unde civile, cujus pars est Jus privatum Justinia-  
2 neum. Tractatur tamen in Academiis etiam Jus civ. Publicum,  
Jo. Limnæ. *J. P. I, II, seqq.* item consuetudinarium Feudale, Be-  
3 sold. *dissert. de lib. Jur. cap. 10.* Denique ipsum Jus Naturæ & Gé-  
tium separatim hodie & quasi in actu signato quibusdam Ger-  
mania locis publico sumtu proponitur & docetur. Vide de A-  
cademiâ Archi-Palatinâ, quæ Heidelbergæ est, Cl. Boecler. *Pra-*  
*fat. ad Grot. lib. de J. B. & P. p. 41.* & de novissimâ Chilonensium  
*Catalogum Lektionum*, qui sub auspiciis ejus publicè prodit.

## DE JURE DIVINO.

### QUESTIO XIII.

#### *Quotuplex est Jus Divinum (a)*

Est vel ceremoniale, vel morale, vel forense. (b)

Hoc jus comprehensum est præcipuè libris quinque  
Moysis. (c)

E' Ἐθνικῆς.

1 (a) Jus Divinum aliquando impropriè sumitur pro Ju-  
re Gentium. Unde Romani Oratione ad Volscos jus, quo belli  
capta acquiruntur θεῶν μᾶλλον ἢ ἀνθρώπων νόμον. *Jus Divinum*  
*potius, quàm humanum* vocant, apud Dionys. Halyc. *lib. VII. p.*  
*267.* Et fontes veneno inficere, quod Jure gentium quarundâ  
veritum esse docet Grotius, *de J. B. III, 4, 16.* contra fas Deum  
esse, Florus judicat *II, 20, 7.* nisi fortè eò potius respexit, quod  
fontes Diis sacriati habebantur apud Gentiles. Tacit. *Ann. XIV,*  
2 *22, 7.* Vide Rupert. *ad d. l. Flor. p. 442 seqq.* Magis propriè de Jure  
naturæ usurpatur, quippe quod verè ex imperio & dictatis Di-  
vini Numinis interventu naturæ pendet. Vide Selden. *de J. N.*  
*& G. I, 8.* imò naturam ipsam Deum esse, multis cùm Philoso-  
phis tum Theologis traditum. Senec. *de Benef. IV, 7, 8. & 22.*  
*Nat. II, 45.* Plin. *Hist. Nat. II, 7.* Chrysostr. *ad I. Corint. XI, 3.* Lactat.  
*Div. Inst. II, 9.* Conf. Just. Lips. *lib. I. Physiol. Stoic. Dissert. 5.* Quo  
3 pacto ab alienis abstinere, Julianus νόμον ἱερὸν καὶ θεῶν vocat,  
*legem sanctam & Divinam.* Hoc loco Jus Divinum est, quod  
imme-



immediatè & expressâ sanctione à Deo Moyfi datum, ut ad Populum Judaicum id deferret; νόμοι, ἔς Μωϋσῆος ὑπαγορεύσει καὶ διδασχῆ ἡ ἑστὴ γὰρ ἡ δὲ κατέλιπε, ut loquitur Fl. Josephus, *Antiq. Jud. XVII, 8.* A qua causa ministeriali hoc Jus passim in S.S. lex Mosaiica, & ipse Moyses legislator dicitur. *I. Reg. II, 3. II. Reg. XXIII, 25. II Chron. XXIII, 18. Esd. III, 2. Matth. V, 4. XIX, 7. Luc. XXIV, 44. Act. XIII, 39. &c.*

(6) Comprehenditur hæc divisio verbis istis Mosaicis *Deut. VI, 1. Hæc sunt præcepta, & ceremonia & judicia, quæ mandavit Dominus.* Vid. Mart. Chemnit. *part. II. Loc. Comm. cap. 4.* Alii per διχοτομίαν Jus Divinum in generale & speciale dispescunt, posterius in ceremoniale seu sacrum, & forense seu profanum subdividentes. Jac. Martin. *Partit. Theol. Disput. XVII. th. 20.* Eodem tendit distributio Grotii *I, 15.* & Calixti, *Compend. Th. Mor. tit. de LL.* quibus Jus Divinum aliud naturale, aliud voluntarium seu positivum. Vid. Sim. Episcopi *Inst. Theol. I, 8.*

(γ) Tanquam loco suo proprio. Applicatio enim & inculcatio hujus Juris, præsertim moralis, in cæteris quoque libris Biblicis passim habetur, unde etiam mox Vetus Testamentum, mox tota Scriptura S. Legis nomine venit *Psal. I, 2. XIX, 8. & 9. I. Cor. XIV, 21. junct. Esa. XXVIII, 11.*

#### QVÆSTIO XIV.

### Quod est ceremoniale?

Quod agit de ceremoniis. Hæ sunt actiones externæ, solennes, quæ ordinis vel decoris ergo, aut ob cultum divinum, aut ob significationem typicam, à populo Judaico adhibendæ erant.

Ἐξήγησις.

Leges ceremoniales nihil aliud erant, quàm ordinatio Judæorum Ecclesiastica, & determinationes primæ partis Decalogi in spem futuri Messæ, cujus & personam ac officium mystica ferè significandi vi exprimebant. Vide *Coloss. II, 16. & 17. Ebr. VIII 5. X, 1.*

#### QVÆSTIO XV.

### Quod est Morale? (a)

D 3

Quod



Quod desumitur ex immotis æquitatis veræ princi-  
piis, (ε) præcipiens honesta, prohibens turpia. Jus hoc  
congruit cum æterna Justitia & sapientia, obligatque  
hominem ad obedientiam tam internam, (γ) quàm ex-  
ternam, propositâ & promissione (δ) præmii, si id ob-  
servet, & comminatione pœnæ, si violet. (ε)

Ἐξήγησις.

(α) Morale dicitur, quia universalis, perpetua & perfecta  
morum ad sanctimoniam & virtutem ritè gubernandorum re-  
gula est.

- 1 (β) Cujus scilicet, objectum absolutè & in se factum necessarium  
est, ut ab ejus naturâ obligatio incipiens in præceptum diffun-  
datur, Lud. Molina Tom. I. de J. & J. tra. disp. 3. n. 2. Unde & talia  
Deus præcepit, quia non poterant ab Ipso, tanquam Numine  
Justissimo, non præcipi, hujusque suæ divinæ & æternæ legis  
radium, ne unquam nos memoria ejus desereret, mentibus  
nostris immisit. De hoc ita D. Ambrosius in Psalm. CIV. *Lex ve-  
ra, inquit, non insculpta tabulis, nec are intisa, sed impressa menti-  
bus atq; infixis sensibus; quando sapiens non sub lege, sed ipse sibi lex  
est, opus legis in corde suo continens naturali sibi stylo & quadam in-  
scriptione formatum.* Quia tamen prima hominis defectio cras-  
sissimâ caligine lumen illud mentis obfuscavit, ut vix pauca  
scintillulæ se proferrent, dissolutiori vita facile penitus extin-  
gvendæ, ut certè in multis populis una vel altera extincta ap-  
paruit, Selden. d. l. I. 6. & 7. Calixt. d. l. p. 49 s. qq. ideò Deus expres-  
sâ sanctione ac disertis verbis idem jus naturæ cum aliis legi-  
bus suis in monte Sinâ repetendum, illustrandum, & genti I-  
fraëliticæ promulgandum censuit, inde ad ceteros quoq; po-  
pulos haud ægrè perventurum. Appositè ad rem Autor qq.  
*Vet. & Nov. Test. quæ extant Tom. IV. Oper. D. Augustini, quest. 4.  
Lex formata in libris dari non debuit, quia in natura ipsa quodam-  
modo inserta est. — At ubi naturalis lex evanuit, impressâ consue-  
tudine delinquendi, tunc oportuit legem manifestari, ut in Judæis  
omnes audirent. Non quod penitus oblitterata esset, sed quia maxi-  
mâ ejus autoritate carebat &c. Conf. Hug. de Roy, de eo, quod just.  
est.*
- 2
- 3

est. I, 3, 9. seq. Planè ergò in se eadem jus naturale & morale ab 4  
accidenti saltem varioque respectu distinguuntur. Naturale  
enim dicitur, quatenus consideratur ut mentibus hominum na-  
turâ insitum; morale verò, quatenus à Deo expressè sanc-  
tum legibusque suis scriptis comprehensum ac illustratum est.

(γ) Vid. *Deut. VI, 5. Matth. XXII, 23. B. Chemnit, d. l. I,*  
*1. & II. B. Gerhard. Contin. Harmon. part. 1. p. 1316. seqq.*

(δ) Quæ quidem promissiones generales utique sunt, &  
ad omnes homines pertinent, cum obligatio Juris moralis ad  
universum genus humanum referatur. Malè ergò ad solum  
populum Judaicum quasdam illarum restringit Grotius II, 15. 9.

(ε) *Deum enim semper sequitur Justitia, ultrix in* 1  
*eos, qui deficiunt à lege Divinâ, prout sententiam Platonis ea de*  
*re exprimit Interpres Irenæi lib III. c. 14. Atque hæc pœna etsi* 2  
*interdum quoque temporalis, vid. 1. Reg. XIV, 11. Spartian. in*  
*Alex. Sev. ibique in Comment. Is. Casaubon, pag. 160. certè sem-*  
*per æterna imminet, cum absoluta obligatio non possit non*  
*conjuncta esse cum æternæ damnationis comminatione. Vid.*  
*Balthaf. Meisner. de LL. lib. IV. sect. 1. qu. 11. & sect. 2. qu. 2. Hinc*  
*D. Chrysoptom. Tom. V. Oper. orat. de Terræmotu, ubi de di-*  
*vite illo, Luc. XVI, 19. ἐχρεώθη ὄντο αὐτῶ, inquit, τιμὰς καὶ*  
*ἐχρεώθη ὄντο αὐτῶ ὀδύνας debebantur ipsi pœna & dolores. Qui &* 3  
*alibi graviores Judæorum pœnas fore docet ὑπὸ τῆς τῶ νόμου*  
*δόσεως, quod insuper Deus specialiter hæc jura observanda i-*  
*psis injunxerit; rationem designante D. Augustino De verâ re-*  
*lig. cap. 6. Non enim simplex peccatum est, non solum malum, sed*  
*etiam vetitum committere.*

#### QUÆST. XVI.

#### Quod est forense?

Quod pertinet ad gubernationem populi Judaici  
politicam, continetque præcepta de defensione disci-  
plinæ in civilibus & criminalibus; ut & in contractibus,  
dominiorum distinctionibus, hereditatum divisione,  
judiciis, officiis Magistratum, pœnisque. Latum est  
in



in hunc finem, ut ceu nervus Politix ac executio Decalogi, publicam tranquillitatem pareret.

Ἐξήγησις.

- 1 Hæc enim προβεία ac eminentia fuit populi Judaici, ut in illorum Repub. certis legibus formata ipse Deus jus quoddam Majestaticum exerceret. Hinc sub nomine Θεοκρατίας
- 2 à ceteris ferè Rebuspub. distinguitur. Quà etiam re tandem insolescentes Judæi, ac Divinis promissionibus secus, quam par erat, acceptis impiâ temeritate confisi concitatis in se injuriis, fastu, perfidiâ potentiorum odio & armis, exitium sibi accelerarunt. Vide hoc nomine querelam de iis Titî Imp. apud
- 3 Egesippum *Excid. V, 41.* Quæ autem ratio regiminis politici variis temporibus apud Judæos servata sit, cui item formæ Reipubl. propiùs accesserit, latius hîc exequi non juvat. Videri possunt, qui peculiari instituto de Repub. Ebræorum scripserunt, Carolus Sigonius, Pet. Cunæus, Bonaventura Cornelius Bertram, ejusq; Annotator Constantinus L'Empereur, Herm. Conringius; cum quibus confer Guil. Schickard. *de Jure Regio Ebræor. Is. Casaubon. Exerc. I. in Appar. Baron. cap. 2.* Jo. Selden *Tr. de Synedriis.* Claud. Salmas. *Defens. Reg. cap. 2. & 8.*

QUÆST. XVII.

Quod jus comprehenditur præceptis (a)  
Decalogi?

Tantum morale. Priori autem tabulæ ancillatur ceremoniale: utramque defendit Jus forense,

Ἐξήγησις.

- 1 (a) Ita jus morale Patres Græci vocare cæperunt, Clemens Alexandr. *Pædag. III, 12. & Stromat. VI, p. 680. seq.* Origen. *homil. VII. & VIII. in Exod.* habito respectu ad *Exod. XXXIV, 28. Deut. IV, 13.* quibus locis vox ⲙⲓⲃⲣⲓ integra mandata significat, ut & Græca λόγος *Gal. V, 14.* Comprehendunt autem decem illa præcepta universum jus naturale, si non literam solùm, sed totam vim & διάνοιαν eorum, quæque certa
- argu-

argumentatione hinc deducuntur, consideres. Augustinus Tom. IV. *29. sup. Exod. CXL.* Cum tam multa, inquit, locutus sit Deus, due tantum tabule dantur Moysi lapideae, quae dicuntur tabulae testimonii seu urae in arca. Nimirum omnia cetera, quae praecepit Deus, ex illis decem praeceptis, quae duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quarantur & intelligantur, quomodo haec ipsa rursus decem praecepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, à quibus tota lex pendet & Propheta. Specimen huius rei in Philosophia sua, morali exhibuit Phil. Melanchthon.

QUAEST. XVIII.

Ligatne nos omne Jus Divinum?

Omne morale; (a) cum non tantum instituto Dei, sed & naturali ac æquissima ratione sit fundatum. Ceremoniale per adventum Christi est (β) sublatum. Forense, quod refertur (γ) ad ceremonias, & ex iis causam habet, quodque tantum populo Judaico adplicatur, cessat: quod verò (δ) in lege morali fundatur, & applicari potest aliis populis, obligat quidem nos, sed pro exigentia rerum potest reformari, non (ε) tolli absolute.

<sup>α</sup>ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

(a) Imò obligat hoc non homines tantum, sed & omnem creaturam rationalem, cum implicet, rationale esse, nec tamen rationis imperio obligari. Obligat ergò & Angelos. Vide Martin. Becan. *part. I. Theol. Scholast. tr. 3. c. 1. qu. 10. seqq.* B. D. Dorschei *Tr. de Angelis. An & ipsum DEUM?* Vide Dn. Zigler. ad *Grot. p. 7. & 44.*

(β) Et quidem quatenus umbram seu typos futurorum continebat, ita morte Christi cessavit & abrogatum est, ut citra abnegationem ejus observari amplius non potuerit. Contraria enim fuissent, in praesentem Messiam credere, & futurum religioso adhuc cultu praestolari. Quatenus verò erant ritus indifferentes & ab omni superstitione remoti, etiam post

E

mor-

mortem Christi aliquamdiu, majoris præsertim boni causâ, re-  
tineri potuerunt. Vid. *Act. XVI, 3.* Conf. Feurborn. *Fasil. V.*  
*Disput. 5. n. 64.* Calixt. *de LL. pag. 72.* Suarez. *de LL. lib. IX. cap.*  
*10.* Grot. *de verit. Relig. Christ. lib. V. n. 7. seqq.*

1 (γ) Per ceremonias satis obscure Auctor heic intelligit  
determinationes secundæ tabulæ Decalogi, sive ipsum Jus Ci-  
vile Ebræorum, quatenus Juri naturæ varias leges positivas pro  
utilitate & fine suæ Reipub. superaddebat. Cumque adeò ju-  
ris hujus subjectum & finis adæquatus esset Respub. Judaica, e-  
jusque felicitas, eâ destructa ipsum quoque jus hoc evanesce-  
re oportuit. Enimvero, si citra superstitionem una vel altera  
2 harum legum suæ quoque Reipub. utilis videatur Christiano  
Principi, nihil obstat, quò minùs eam inter suas quoque reci-  
pere, adque ejus observationem subditos obligare possit. Vid.  
Grot. *de I. B. & P. I, 1, 16. & 17.* Quo pacto & ipsi Ethnici, Græ-  
ci olim, & per hos Romani multa sua instituta ab Ebræis mu-  
tuati sunt. Vid. Auctor *Collat. LL. Mosaic. & Rom. cum Not. P.*  
Pithœi, Jac. Godofr. *Comm. ad L. XII. Tabb.* passim uterque.  
3 Quando verò desierit Respub. Judæorum, variæ sunt summo-  
rum Virorum sententiæ, quas recenset, atque eo moderamine  
componit Cl. Bœcler. *Annot. Polit. ad Tac. Hist. V, 8. & 9.* ut  
eam, quæ Casauboni, Cunæi, Riveti, aliorumque est de finitâ  
cum ipso demum excidio Hierosolymitano Ebræorum Re-  
pub. populariorem, & oraculo Prophetico *Gen. XLIX, 10.* ex-  
plicando congruentiorem; alteram Sigonii, Grotii &c. quæ  
jam ab ipsa captivitate Babylonicâ, certè post captam à Poin-  
pejo Hierosolymam, Judæamque in formam Provinciæ reda-  
ctam jus ullum Majestatis ac Reipub. Ebræis reliquum fuisse  
abnuat, ad Philosophantium *ἀρχαία* meliùs convenire di-  
cat. Pro priori facit etiam Inscriptio in honorem Titi Imp.  
à S. P. Q. R. facta, quam vide apud Marcum Zuerium Boxhor-  
nium *Hist. Univ. p. 141. seqq.*

1 (δ) Scilicet accuratè distinguendum ipsum Jus morale à  
determinationibus suis positivis, quas mutationi obnoxias  
fuisse, nullum dubium est. Sic v. g. ne furtum fiat, jus naturæ præ-  
cipit *l. probrum 42. ff. de V. S.* certâ tamen pœnâ furibus non  
defini-

definita; & pœna quintupli, quadrupli, dupli, de qua *Exod.* XXII, 1. *seqq.* quippe ex Jure, non morali, sed forensi ac Judæis proprio descendens, à Christianis Principibus pro necessitate suæ Reipub. aliter constitui, & ad pœnam usque mortis rectè etiam extendi potuit. Vide Jo. Brentii *Consil. Dec. 1. Conf Theol. Bidenbach. 3.* Lud. Molin *Tom. III. de J. & J. tr. 2. disput. 695.* Jac. Zevcot. *Observ. Polit. ad Flor. IV, 1. p. 402.* frustra dissentiente Bachovio *ad Trent. II, 30, 3. G.*

(ε) Est enim immutabile, §. *pen. Inst. de I. N. G. & C. I* Sophocl. *d. l. Cic. de LL. II, 14.* rationem exprimente Philosopho *V. Eth. 7. n. 5. ὅτι, τὸ μὲν φύσει ἀκίνητον καὶ πανταχῶς τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, ὡς περὶ τὸ πῦρ καὶ ἐντάδε καὶ ἐν πέποισιν καίει;* quandoquidem id, quod ex natura est, & ubique eandem vim habet, sicut ignis & hic & apud Persas urit. Hinc naturæ leges Philo τῶν κατωτέρων βεβαιότερες, legibus humanis valentiores vocat, quod scil. ab iis nec tolli nec mutari possint. Distinguendum hæc tamen (I) inter ea, quæ verè ac obligativè, & κατ' ἐναντιότητά. juris naturalis sunt, & quæ saltem negativè, κατ' ἐπέκειντα, & pro certo rerum statu ita dicuntur. Ita libertas, jus capiendi feras, quæ naturaliter hominibus competere dicuntur, inducto jure servitutis, regalium, &c. haud iniquè mutationem receperunt, Lud. Molin. *d. l. disput. 4. n. 9.* Suarez. *d. LL. II, 14, 14.* Dom. à Soto *de J. & J. I, 4, 5.* Grot. *II, 8 5. II, 22, n. (II.)* Inter Jus naturæ & πρώτα κατ' φύσιν, seu inclinationes naturales, quas ipsas quoque Pet. Gassendus *part. mor. Phil Epicur.* ad leges naturæ, sed minus rectè, refert. *Nec enim inest in primis natura conciliationibus honesta actio,* teste Cicerone *de Finib. III, 6.* Bœcl. *d. l. p. 7.* Unde ipsum etiam naturale jus has sæpe corrigit. Grot. *I, 2, 1. (III.)* Inter ea, quæ absolutè juris naturalis sunt, & quæ talia ἐξ ὑποθέσεως, seu pro certo rerum statu, quæ extra hunc statum secus se habere possunt. Exemplum de incestu cum sorore vid. apud Dn. Zigl. *d. l. p. 51. seqq. (IV.)* Inter ea, quorum materia jure naturali necessaria, & quæ fieri melius saltem ac honestius est judicio rectæ rationis. Nimirum hic quandoque fit, ut necessaria gloriosis pro conditione temporum rectè præferantur, ut loquitur Vellej. *Paterc. II,*



no, 3. Adde Jo. Freinshem. *ad Curt V, 1, 8.* (V.) Inter ipsum jus naturæ, ejusque subiectum, humanam naturam, quæ sæpe pravis institutis ac perversitate morum ita corumpitur, ut distamina juris naturalis vix sentiat, certè non audiat. Equidem homines ὁπίτηδούσει τῶν ἡμετέρων ἀτιφάσων ἀγείονται μετὰ βδελειν, ejusmodi institutis obbrutescere, Philo etiam annotavit, *lib. II. de LL. special.* Ubi tamen quid naturale sit, spectandum in his, quæ benè secundum naturam se habent, non in depravatis, ut monet Aristot. *Polit. I, 3. pag. 14. edit. Conring.* Add. Dn. Zigl. *ad Grot. p. 20.* Quamquam non immeritò dubitat Seneca *de Benef. IV, 17.* an ita extingui possit rectæ rationis lumen, ut non subinde etiam apud immanissimos populos se proferat, quæ sciant quidem meliora, probentque, deteriora sequantur. Conf. D. Hieronym. *Tom. III. Epist. ad Algas. quæst. 8.* Adde Selden. *d. c. 6.* Bachov. *Comment. ad d. §. 14. n. 2. de J. N. G. & C.* (VI.) Inter mutationem, quæ fit intrinsecè in ipsâ lege, & quæ extrinsecè in objecto & circumstantiis, quibus mutatis poterit actio non esse contraria legi naturæ, quæ manentibus contraria fuisset, ut loquitur Calixtus, *d. l. pag. 62.* & rem exemplo furti Ægyptiaci ab Israelitis jussu divino commissi illustrat. Cum quo confer, juxta habet Sim. Episcopius *Instit. Theol. I, 8, 2.* Neque ei ab simile est, quo ex materiâ usucapionum heic utitur Molina *d. disp. 4. n. 7.* Quod verò apud Grotium *l. 1, 10.* de homicidio extat, vide, ut sobriè, neque cum ejus sententiæ præsupposito, quæ alioqui Grotio solemniter est *II, 21, 14. & c.* accipias, quasi Deus jure quodam supereminenti pro lubitu sine causa hominem perdere aut miseris excruciare possit. Cui asserto cum æterna Dei justitia vix satis convenit. Vid. Cornel. Jansenii Episcopi Yprensis, *Tom. II. de doct. Augustini, lib. III. c. 1. & 5.* (VII.) Inter mutationem juris naturalis & permissionem ejus, quod ipsi contrarium est. Enimverò sæpe fit, ut in malis, quibus pares non sunt, connivere cogantur, qui summæ rerum præsent, salvò nihilominus rectæ rationis judicio, quo eadem improbant ac detestantur *Tac. III. 53, 2.* Atq; eo pacto jus civile interdum non assistere dicitur Juri naturali in *l. 6. ff. h. r.* Sed de legibus permissivis, earumque natura & diversitate infra pleniùs. (VIII.) Inter jus naturæ & determinaciones seu applicationes ejus merè positivas, quam distinctionem jam supra præsentavimus. Hucque respicit Joan. Faber *Comm. ad d. §. pen.* dum jus naturæ modificari, declarari & provisionibus alterari posse ait. Nescio, an idem sibi velit Auctor, quando pro rerum indigentia crassiusculè, nî vallor, reformari posse jus naturæ censet. Quot verò modis id fiat, paucis vide apud Dn. Conring. *ad Lampac. part. I. §. 41.* Adde Molin. *d. l. n. 10.* Dn. Hahn. *d. l. p. 76. seqq.*

☞ (0) ☞







SPECIMEN

ΠΟΡΙΣΜΑΤΩΝ GROTI-

ANORUM, quorum deinceps B. C. D. singulæ Decades singulis Exercitationibus subjici-  
entur.

I.

**Q**uod multi cū Tiridate apud Tacitum *XV, 1, 6. in summa fortuna id æquig, quod validig, &*, quod apud eundē est *III, 69, 3. minui jura strepūr, ubi gliscat potestas*, ad militaris ferociæ aut prævalidæ ambitionis intemperiem potius, quam judiciū suæ rationis, quæ etiam apud immanissimos aliqua est, Senec. *de Benef. IV, 17.* retulerim, cui ubique cū illo convenire videtur, quod Plinius ait *in Panegy. c. 38.* Vis lexque naturæ non, uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentiōribus dedit.

II.

Concedamus impræsentiarum Carneadi, cujus disceptationem compendio apud Lactantium *Divin. Instit. V, 17.* sectam, apud Just. Lipsium vide *Philos. Stoic. II, 3. & 4.* hominem naturā ad utilitates suas ferri. Sed quod utilitatis humanæ mensuram à præsentis ac corruptæ spei illecebris, & non potius ab eo, quod hominis naturæ convenientissimum, eidemque per totam vitam tutissimum est, petiit, dubito, an imperitæ plebis, certè vix cujusquam è doctioribus suffragium unquam tulit. Enimverò stultissimus sit oportet, suæque fortunæ prodigus, qui pro modici temporis *εὐδαιμονία*, quicquid reliquum est vitæ ac salutis suæ, incertissimo fato prostituat. Et verè igitur censuisse Tullium statuamus, quando *omne, quod honestum est, idem & utile esse dixit de Offic. II, 3.*

III. Non



III.

Non videtur censuram Jani Huarthii *Scrutin. ingen. cap. 7.* ad Grotium pertinere, brutorum actus ex principio intelligente extrinseco procedere credentem. Nihil enim aliud hoc ipso sibi voluit, quam causam proximam horum actuum, nudum scilicet illum naturæ suæ instinctum, rationis & intelligentiæ omnis expertem esse, secus atque in hominibus. Ne quis tamen sine ratione ac temere fieri putet, ad quod naturali instinctu bestiarum feruntur, cum certè nihil frustra naturaliter fiat, ratio illa ac principium intelligens in causâ remotâ & extra brutum quærenda fuit, ut melius sibi oppositio ad hominem constaret. Est autem hæc *æterna illa lex, & gubernandarum rerum omnium ratio seu norma, que non minus, quam crearum ratio seu idea ab æterno in mente Divina fuit*, verba sunt Georg. Calixti Epit. *Theol. Mor. de LL. p. 46.* Conf. Dn. Strauch. *Dissert. I. ad w. th. 4.* Benè Tertullianus *lib. de animâ: Naturale, inquit, rationale credendū est, quod anima à primordio sit ingenitum, à rationali videlicet auctore.*

IV.

Non debet id solùm naturale homini existimari, ad quod etiam naturali suo instinctu bruta sollicitari videmus, nisi turpi in nos ipsos convitio eandem esse humanam cum brutorum natura fateamur. Et cum tot præcipua homini reliquerit benignissima omnium mater, quæ ordine enumerat Mich. Piccart. *dissert. de Veritate, quæ in Philos. Altorph. est XIV. th. 1. seqq.* omniū in. maximè eminet ratio & intellectus, cui quæ conveniunt, haud dubiè hominibus naturalia censerī debent, quamvis ne minimum horum vestigium in bestiis adpareat.







ULB Halle

3


005 132 436



VD17







12053.

1667, 20 21

JOANNIS SCHMIDELI, D.  
EXEGESEOS  
**EXAMINIS**  
SCHOTANIANI  
*EXERCITATIO PRIMA*  
RESPONDENTE  
HECTORE-GVILIELMO BAUR ab EYSENECK!  

---

*J E N Æ,*  
E Chalcographo HAKIANO,  
M, DC. LXVII,

